



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:


- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>









^  
<36700008920012

<36700008920012

**Bayer. Staatsbibliothek**

A. Pr. 74.

Fiche

Achenwall

# ELEMENTA IVRIS NATVRAE

---

IN VSVM AVDITORVM ADORNATA

IVNCTO


IOANNIS STEPHANI PÜTTERI

ET

GOTTFRIDI ACHENWALLI

PROFESSORVM / GOETTINGENSIVM

STVDIO.



---

GOETTINGAE,

APVD IOH. WILHELM. SCHMIDT.

1 7 5 0.



ANNOUNCED  
GAS THERMOMETER

... ..  
... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..  
... ..



... ..  
... ..  
... ..



LECTOR BENEVOLE.

**P**aucissima sunt, quae te prius quam pagellas hasce ipsas inspicias, monendum existimamus. Nouum iuris naturalis compendium prodire in lucem audet. An in tanto huius generis scriptorum

a 2

nume-

PRAEFATIO.

numero vbiuis exstante vt no-  
vum confici non inuerecundum  
videatur, excufationibus impe-  
trandum est? Non veniam flagi-  
tamus: iure confuetudinario fa-  
tis tuti. Adfuefacti iam diu ad  
haec noua philofophica ex Aca-  
demiis tamquam ex equo Troia-  
no profilia Germania Germanorum ani-  
mi. Nouas veritates te fperare  
in hoc libello vix arbitramur; et  
ftam benignus accedas ad illum  
perlegendum, vt quasdam hic in-  
ueniri poffe credideris, fclias ni-  
hil facile noftro diei aeuo, quod  
di-

## PRÆFATIO


dictum prius non fuerit : in com-  
pendiis fere nec desiderari. Erro-  
res tamen ut euitaremus, operam  
quantum licuit, iunximus in deli-  
neandis, ponderandis, digerendis  
thesibus hæc. Neque tamen hoc  
pactò nos non errasse arrogantes  
iudicamus; sed minus tantum er-  
rare voluisse mens fuit. Atque  
hoc forsitan vnieum est, quod  
deprehenderis nouum et minus  
expectatum in hoc opusculo con-  
ficiendo, consociatum duorum a-  
micorum coeubrum studium.  
Adeo rarum his maxime tempo-  
ribus

PRAEFATIO.

ribus est, in scientiis philosophi-  
cis, potissimum Iure naturali repe-  
rire plures, quam doctorem et  
auditorem, consentientes. Tu-  
um nunc est, de conatibus nostris  
iudicare. Iudica, vale, faae. Scri-  
bamus d. 9. April. a C. N.  
MDCCL.



CON-



## CONSPECTVS LIBELLI.

**PROLEGOMENA** de iuris naturalis

- 1, conceptu §. 1. sq.
2. diuisione 21.
3. historia 23.

**PRAECOGNITA** de principiis I. N: ex aliis scientiis, potissimum ex philosophia practica generali praestruendis §. 28. sq.

**Cap. I. De statu hominis morali.**

I. de actionibus hominis

A. in genere

B. in specie de actionibus voluntatis 48. quae

a. oriuntur ex motibus 49.

b. sunt liberae §1. et interne §6. et externe §7.

c. et morales 60.

d. extenduntur etiam ad actiones physicas 67.

## CONSPECTVS LIBELLI.

- e. coactionem admittunt respectiuam 69.
- 2. de statu hominis morali 72.
  - A. consequenter tali, bono vel malo 73.
  - B. antecedenter tali, perfecto vel imperfecto 74.

### Cap. II. De obligatione et lege morali

- 1. de obligatione 80. non morali vel morali 81.
  - A. in genere moralis obligationis
    - a. characteres
      - α. motiuum 83.
      - β. actio libera 87.
      - γ. constitutio nexus 94.
    - b. diuisio in positiuam et naturalem 96.
  - B. in specie obligationis naturalis
    - a. existentia 97.
    - b. finis 98.
    - c. duratio 99.
    - d. quantitas 101.
- 2. de lege morali
  - A. extra collisionem
    - a. definitio 104.
    - b. diuisio
      - α. in praeceptiuam et prohibitiuam 106.

β. po-

## CONSEQUENTIA LIBERUM

**B.** positivam et naturalem 108. cuius principium uniuersale adferitur 110.

**B.** in collisione 112. unde exceptio 117. cuius traditur lex generalis 119.

**Cap. III. De Imputatione morali. Haec supponit factum. Hinc**

### 1. de facto

**A.** in genere quod est non morale vel morale 123.

**B.** in specie de facto morali, quod est vel rectum vel minus rectum 125. et hoc vel inuincibiliter vel vincibiliter tale, unde reatus 128.

**C.** specialissime de facto reatum continente, qui

#### a. diuiditur in

**A.** culpam et

**B.** Dolum 129.

#### b. committitur

**A.** circa leg. praeceptiuam defectu voluntatis efficacis 140. et diligentiae debitae 146.

**B.** circa leg. prohibitiuam negligentia 153. et abusu virium 154.

### 2. de Imputatione

a §

A. iii



## CONSPECVS LIBELLI.

A. in genere est non moralis vel moralis  
156.

B. in specie moralis

a. supponit praemium vel poenam 157.  
b. diuiditur

X. in plenam et minus plenam 158.

Y. in totuplicem, quotuplex est iudicium 160. vnde monstratur, quis possit imputare 165. et quomodo imputatio diluatur 166.

Z. in imputationem ad praemium et ad poenam 171.

D. in positivam et naturalem 173.

C. specialissime imputationis naturalis

a. existentia 174.

b. gradus 175.

### Cap. IV. De officiorum naturalium discrimine.

I. In genere ex omni lege morali effluit

A. facultas moralis 177. et quidem

a. ex lege de se contra alios conseruando fac. mor. cogendi s. ius 179. vnde diuisio obligationis et legis in perfectam et non perfectam 184.

b. ex reliquis LL. moralibus minus 189.

B. officium 197, quod

a. di-

m. A

## CONSPECTVS LIBELLÆ

- a. diuiditur in perfectum et non perfectum
- b. differt a licito 199.
1. In specie ex collisione legum fuit facultas excipiendi 201.
2. Specialissime ex collisione legis perfectæ cum conseruatione totali fauor necessitatis 205.

### IVS NATURARVM

#### I. *Introductio* de iure N. in genere, vbi iuris N. instituitur

1. definitio 209.
2. principium adaequatum 212. Ne turbes aliorum conseruationem, cum consequentibus
  - A. neminem laede 214.
  - B. suum cuique 216.
  - C. ne inferas damnum 217.
  - D. ne sis iniustus 219.
3. Differentia a genere suo proximo philos. practica et cospeciebus,
4. effectus, obligatio perfecta et ius 222.
5. ambitus 223.
6. limites 227.
7. finis 229.
8. vsus in collisione 232.
9. diuisio 233.

II.

## CONSPECTVS LIBELLI.

II. *Tractatio* singularum I. N. specierum

LIT. I. Ius mere naturale, s. ius N. in specie, vbi consideratur, *suum* hominis in statu m. nat.

I. ante laesionem, cum modis, quibus

A. constituitur suum et quod ei adiunctum ius atque obligatio. Suum est duplex

a. connatum, vnde Ius m. N. absolutum  
Cap. I. Suum connatum

1. *continet* vitam 235. et actiones iustas 236.

B. *efficit*

a. identitatem iurium 240.

b. aequalitatem 243.

c. libertatem plenam 248.

d. existimationem bonam simplicem 251.

e. consequenter non tribuit nisi iura negativa et obligationes negatiuas 261.

B. *adquisitum*, vnde Ius m. N. hypotheticum Cap. II. Quidquid acquiritur, est vel res nullius, vel accessorium mei vel alienum. Vnde triplex acquirendi modus

1. Occupatio, si acquiritur res nullius. Occupatio

# CONSPECTVS LIBELLI

**a. supponit** ius hominis in res *tit.*

**A.** ad iis vtendum tum promiscue cum aliis hominibus, 266. vnde communitio primaeva s. negativa, 272.

tum cum exclusione aliorum 277. vnde suum proprium vel commune 279.

**b. consistit** in apprehensione rei nullius cum animo eam sibi propriam habendi *tit. II.* Vnde est modus adq. originarius 298.

**c. efficit** dominium *tit. III.* Domini

**† definitio** 303.

**†† limites** 307.

**††† iura**

**1. ius disponendi** 308.

**2. excludendi alios** 310.

**3. omnes utilitates percipiendi** 311.

**tum quod substantiam**

**tum quoad consecraria**, 312.

**fructus** 314. et in genere

**accessoria** 315. Vnde novus acquirendi modus *ac-*

**essio** 317.

**4. iura**

# CONSPECTVS LIBELLI

4. iura reliqua ex tribus dictis  
effluentia 319.

Itaque incidimus in secun-  
dum modum acquirendi,  
qui est

**B.** Accessio s. adquisitio ex lege, si acqui-  
ritur res quae est rei meae accessorium.  
Sequitur tertius modus

**C.** Pactum si acquiritur alienum *tit. IV.*

a. verus modus alienum acquirendi est  
pactum, cuius

1. fundamentum, promissio 334.

acceptatio 335.

consensus reciprocus 336. qui est

1. verus vel nullus 337.

2. iustus vel iniustus 338.

2. definitio 340. 1

3. diuisio generalis, verum vel nul-  
lum, iustum vel iniustum 340.

4. lex generalis 343. pactum iustum  
est seruandum.

5. differentia pacti iusti a negotiis,  
quae pactum annullant 345.

6. aut vitiant 354.

7. item a pollicitatione et voto 357.

8. effectus pacti iusti 359.

9. di.

# CONSPECTVS LIBELLÆ

7. diuisio pacti iusti 377. cum doctrina de pretio vulgari et eminenti cet. 382.
- §. accessorium cautio 401.
1. pactitia, quae constituit ius novum creditori in personam, unde fideiussio 405. vel in rem, unde pignus cet. 406.
2. iuratoria, .i. iuramentum 407. quod est assertorium vel promissorium 411. cuius effectus traduntur 412.
- b. modi alien. adquir. ex l. m. N. exules
- α. praescriptio 416.
- β. successio ab intestato 420.
- γ. successio ex testamento 424.
- B. Modi quibus tollitur suum, et quod ei adiunctum ius atque obligatio *tit. V.*
- a. repetendo praemittuntur modi ius atque obl. constituendi 430.
- b. modi tollendi
- A. in genere 436.
- B. in specie
- a. iura connata et obl. connata 438.
- b. iu-

# CONSPECTVS LIBELLII

in iura quaesita et obl. contractas

in genere 442.

in specie, iura quaesita

a. in rem 443.

β. in personam 444.

casu 445.

facto 446.

1. plene, solutione 448. et  
pactis contrariis, vt sunt  
mutuus dissensus 449. re-  
missio, 450. compensatio  
451. datio in solutum 452.

2. minus plene 453, dum mu-  
tatur

praestandum in nouatione  
454. vel mutantur pacis-  
centes

a. debitor in delegatio-  
ne 456.

b. creditor in cessione  
457.

**Suum**

a. in laesione s. modus ius suum persequendi  
*Cap. III.*

**Laesionis effectus duplex**

**A. Facultas cogendi actualis**

a. in

## CONSPECTVS LIBELLI.

a. in genere 460.

b. in specie ius belli 468. quod

*α.* competit contra quamcumque laesionem 471. praeteritam, praesentem imminentem 473. tam certo quam probabiliter talem 476.

*β.* tendit

in genere ad sese conferuandum  
in specie in laesione

1. praeterita, ad reparationem damni dati ideoque ad restitutionem vel satisfactionem 477.

2. praesenti, ut repellatur 480.

3. imminenti, ad periculum auerendum et securitatem vindicandam 481. Hinc ius defensionis 482.

*γ.* limitatur 486.

*δ.* datur etiam contra auxiliatorem hostis 487.

c. specialissime, tribuunt laesiones in suo

*α.* connato

quoad vitam ius, quod dicitur moderamen inculp. tutelae 49.

quoad existimationem bon. simpl. ius ad deprecationem cet. 495.

b

*β.* ad-



## CONSPECTVS LIBELLI.

### *β.* adquisito

quoad pactum onerosum ius optionis  
ad cogendum vel recedendum 498.

quoad adquisitum ius vindicationis  
499. quod aliud est

1. contra bonae, aliud

2. contra malae fidei possessorem  
500.

### B. Lites

a. quid sint 506.

b. quomodo finiantur

*α.* lites de debito liquido 509.

*β.* de debito illiquido, quod

a. aut liquidum reddi potest probatio-  
ne 511.

b. aut nequit, et tunc vt finian-  
tur inter litigantes, requirunt mu-  
tuum consensum s. pactum 521.  
quod sancitur

*α.* aut interueniente tertio 523.  
mediatore vel arbitro 524. aut  
minus,

*β.* vel placida ratione, quo refer  
amicab. compositionem 529.  
transactionem 530. vel violen-  
tia praeuia s. bello cum subse-  
quente pacto pacis 534.

**LIBER**

# CONSPECTVS LIBELLI.

## LIBER II. Ius societatum minorum

### I. in genere de societate *Cap. I. Societatis*

1. defin. §37.

2. effectus

mutuum auxilium §38.

commune bonum §39.

societas persona mystica §40.

3. ius §42.

A. de iure sociali in genere

4. a. externo §44. eiusque principio adaequato §46.

b. interno §54. eiusque princ. adaequ. §55. continet iura et obligationes sociorum erga se inuicem

α. vel qua hominum duntaxat, in societ. precariis §57.

β. vel etiam qua sociorum in societ. obligatoriis §59.

B. de iure sociali interno societatum obligatarum in specie, et quidem

a. de principio huius iuris adaequato §61. extra collisionem et in collisione §64.

b. de legibus ex fine societatis condendis §66.

c. de iuribus et oblig. sociorum

# CONSPECTVS LIBELLI.

α. ante laesionem

† in genere

†† in specie ex diuersitate societatis, quae

I. quoad imperium est inaequalis §69. vel aequalis §77.

II. quoad modum constituendi est vel necessaria §82. vel voluntaria §87.

β. in laesione 892.

d. de modis tollendi societatem §94.

## II. In specie de societatibus minoribus

### I. de societatibus simplicibus

#### A. De Societate matrimoniali et paterna *Cap. II.*

##### a. de societate matrimoniali. Matrimonii

α. defin. 596.

β. requisita 598.

γ. comitantia, sponsalia, nuptiae 600.

δ. diuisio. 602.

ε. iura et obligationes 603.

#### B. De Societate paterna.

a. vnde oriatur 608.

b. qualis societas 611.

c. effe-

# CONSPECTVS LIBELLI.

c. effectus eius,

α. iura et obligationes parentum et prolis mutuae 613.

β. iura et obligationes parentum inter se inuicem 620. et erga tertium 622.

d. modi eam tollendi

plene 623.

minus plene constituta tutela 627.

C. De societate herili et dominica *Cap. III.*

a. in genere de herili

α. origo 628.

β. defin. 631.

γ. iura et obligationes mutuae 632.

δ. diuisiones 635.

b. in specie de societate dominica

α. quid sit 636.

β. quae inde iura et oblig. 637.

γ. quomodo tollatur 638.

δ. quae falso iura domino in seruum tribuantur

1. ius transferendi operas serui 639.

2. ius in prolem serui tamquam in in seruum ipsum 640.

3. ius vitae et necis, 641.

b 3

a. De

## CONSPECTVS LIBELLI.

2. De societate composita minori, s. familia  
*Cap. IV.*

A. quid sit 644.

B. qualis sit societas 647.

C. quae eius iura et obligationes mutuae

a. quatenus continet imperium 649.

b. quatenus continet aequalitatem 651.

D. quae confectaria ortum debent familiis.

a. ius succedendi ab intestato.

b. ius testamentorum 652.

LIB. III Ius ciuitatis s. ius ciuile vniuer-  
sale 653. sq.

I. in genere, *Cap. I.*

1. quid sit ciuitas et quomodo oriatur, 653. sq.

2. quaenam sint iura ciuitatis eorumque prin-  
cipia 660.

3. de natura ciuitatis statusque ciuilibus, 665.

II. in specie

1. Ius publicum vniuersale, *Cap. II.*

A. de ipsis iuribus summi imperii

a. in genere, *Tit. I.*

α. de modo administrandi rempubli-  
cam, 687.

a. de potestate legislatoria, 688.

b. de

## CONSPECTVS LIBELLI.

b. de executione legum et muneribus publicis 701.

B. de obiectis, in quibus versatur administratio reipublicae 711.

a. ad securitatem 712. externam 713. et internam 716.

b. ad sufficientiam vitae et augendas perfectiones, 718 animae 719. corporis 722. et status externi subditorum in genere 723.

c. ad procurandos sumtus publicos, 725.

b. speciatim de varietate iurium summi imperii pro diuersitate legum fundamentalium formarumque reipublicae, *Tit. II.*

A. de legibus fundamentalibus in genere 727.

a. quoad ipsius imperii determinationem 732.

α. per limites naturales tantum 733.

β. per limites arbitrarios 736.

N. dum reseruat in quibusdam libertas subditorum naturalis, 737.

2. dum adstringitur imperans

# CONSPECTVS LIBELLI.

consensui populi vel proce-  
rum 739.

b. quoad determinationem personae  
imperantis 741.

α. de monarchia, 745.

β. de democratia, 773.

γ. de aristocratia; 777.

δ. de mixtis reip. formis, 780.

ε. de plurium ciuitatum coniu-  
ctionibus, 782.

ζ. de aemulis regni, 786.

B. de modo ius suum persequendi inter im-  
perantem et subditos *Tit. III.*

a. si imperans laeditur a subditis, 788.

b. si subditi laeduntur ab imperante,  
797.

2. Ius priuatum vniuersale *Cap. III.*

A. in genere, *Tit. I.*

a. de natura iuris priuati eiusque princi-  
piis, 800.

b. de distributione iuris priuati, 810.

B. speciatim

a. de ipsis iuribus singulorum subdito-  
rum

2. im-

# CONSPECTVS LIBELLI.

**A.** immediate ex lege, 812.

**B.** mediate accedente facto obligatorio 818.

a. ex facto obligatorio licito, 823.

α. de iure rerum *Tit. II.* 824.

β. de iure personarum *Tit. III.* 852.

b. ex facto illicito s. ius criminale vniuersale *Tit. IV.* 871.

b. de modo perfequendi ius priuatum s. de re iudiciaria, *Tit. V.* 882.

## LIB. IV. Ius Gentium Vniuersale

**I.** de iure gentium in genere *Cap. I.*

**A.** generatum iuris gentium

a. conceptus adaequatus 895. sq.

b. differentia a iure m. N. singulorum hominum 899.

c. personae, quae hoc iure gaudent et reguntur

α. gens ipsa, persona mystica,

β. summus imperans siue sit persona singularis, siue moralis 901.

γ. legatus 902. quoniam gaudet caractere repraesentatio, 904.

b 5

d. prin.



## CONSPECTVS LIBELLI.

d. principium adaequatum 907. vnde obligatio et ius gentis, 908.

e. diuifio in vniuerfale et pofitium, 909.

B. figillatim iuris gentium vniuerfalis

a. vfus

α. in ftatu ordinario 910.

β. in ftatu extraordinario 99.

b. diuifio in

α. ius pacis

I. ius gentium abfolutum *Cap. II.*

I. in genere intuitu gentis

A. fuum gentis quod conuato refpondet 914. eft

a. vita et fingulorum ciuium et totius ciuitatis 915

b. actiones tum fing. ciu. tum totius gentis, id eft negotia publica, 918.

B. iura inde deriuata

a. identitas iurium 919.

b. aequalitas

c. libertas plenaria 920.

d. ex-

## CONSPECTVS LIBELLI.

d. existimatio bona simplex  
921.

2. in specie intuitu legati 922. et  
eius accessorii, comitatus lega-  
ti 923. simul atque genti alii  
tamquam legatus innotescit

a. est in statu m. naturali, 924.

b. habet inuiolabilitatem, 925.  
et

c. sanctimoniam, 926.

### II. Ius gentium hypotheticum *Cap. III.*

I. in genere respectu gentis. Su-  
um gentis quaesitum est

#### A. generatim

a. quidquid est suum quaesi-  
tum singulorum ciuium, 928.

b. territorium gentis 929. cu-  
ius explicantur

a. iura, 930.

β. ambitus, 931.

#### B. speciatim

a. quidquid gens iuste occupat  
937. vbi requisita occupatio-  
nis 938.

b. quid-

## CONSPÉCTVS LIBELLI.

b. quidquid pacto valido adquisit 942. Pacta inter gentes dicuntur conuentiones publicae

α. generatim de conuentionum publ. validarum

1. requisitis 943.

2. effectu, 946.

β. Ipeiatim de foederibus 947. eorumque diuerfitate, 948.

2. in fpecie refpectu legati, quoad

A. fuppellectilem 949.

B. aedes, 950.

C. Tranfitum, 951.

D. Admiffionem, 952.

E. negotium commiffum, 954.

β. Ius belli gentium *Cap. IV.*

I. In genere de bello inter gentes f. bello follemni, cuius

1. definitio, 955.

2. cauffa iuftifica laefio, 956. quae ad

## CONSPECTVS LIBELLI.

ad belli praeuiam indictionem non obligat, 957.

3. iura in hostium

A. personas 960. ad offendendos, interficiendos, capiendos hostes, 961. vnde ius imperii in hostes deuictos,

B. res 963. vnde ius domini in res captas, 964.

4. limites, 965.

II. in specie de pactis intuitu belli initis, 967.

I. quotuplicia sint, 968.

A. ante bellum exortum 969.

B. durante bello facta, 970.  
haec vim belli

a. tollunt aut

b. imminuunt 971. Haec dicuntur in specie pacta bellica, et sunt 973.

α. vniuersalia, quo pertinent induciae, aut

β. par-

## CONSPECTVS LIBELLI.

β. particularia , quo refer  
pacta de neutralitate re-  
gionis hostilis, deditio-  
nis, de lytro, litteras  
lib. commeatus, armiffi-  
tia, 974.

2. quatenus valida, 975.




PRO-



## PROLEGOMENA

### §. 1.

 **E**xperientia constat, id omne, quod existit, mutationes producere, id est, *agere* posse.

### §. 2.

Omnis actio habet rationem suam sufficientem, seu aliquid, ex quo determinatur, id est, quod efficit, ut haec, non alia actio, hoc, non alio modo existat.

### §. 3.

Omnes actiones eiusdem generis, si illarum ratio sufficiens est eadem, eodem modo determinantur.

### §. 4.

Pone actionum genus quoddam cum eadem ratione sufficiente, et verbis exprime genus actionum eiusque determinatum modum.

A

dum.

dum: nascetur inde propositio, secundum quam determinantur actiones eiusdem generis, quae in sensu generalissimo dicitur *Lex*. Ergo posita eadem ratione sufficiente, dantur leges omnium rerum existentium.

## §. 5.

Homo constat ex corpore atque anima. *Anima humana* a ceteris animalibus in eo differt, quod *intellectu* et *voluntate* sit instructa. Quodsi itaque ponitur, dari actiones intellectus et voluntatis, quae eadem ratione determinantur; dantur quoque leges cum intellectus tum voluntatis humanae.

## §. 6.

Intellectus in *quaerenda veritate*, voluntas in *appetendo bono* occupatur. Ex his duabus propositionibus omnes actus et intellectus et voluntatis concipi posse, in psychologia demonstratur.

## §. 7.

Hinc *Lex prima animae humanae*, quae talis: *quaere verum et appetere bonum*.

## §. 8.

Pariter ex psychologia constat, esse vnam eandemque vim, quae intellectum ad indagandas veritates, et voluntatem ad appetendum bonum determinat. Vtraque igitur  
tur

tur animae humanae facultas indissolubili cum altera nexu agit. Unde consequitur, ut lex intellectus, quatenus hic cum voluntate conspirat, sit: *quaere veritates bonas*, et lex voluntatis, quatenus, haec cum intellectu cohaeret: *Appete bonum verum*.

§. 9.

*Bonum* alicui dicitur, quod eum perficit. Ergo lex dicta intellectus consistit in quaerendis veritatibus, quae hominem perficiunt, et lex voluntatis in appetendis iis rebus, quae hominem vere perficiunt. Hinc lex animae humanae generalissima: *Perfice te*.

§. 10.

De actionibus intellectus vltior quaestio hic loci superflua. Voluntas perpetuo quidem et immutabili conatu ad bonum fertur; sed simul non agit nisi repraesentationibus intellectus conformiter. Hae repraesentationes boni quum et verae et falsae esse possint: consequens est, ut voluntas sub specie boni saepius et malum appetere, ideoque bene et male agere aequae facile possit.

§. 11.

Itaque ne a recto tramite deflectat, opus ei est duce *ratione*, summo illo intellectus



gradu, quae ad cognoscendam boni veritatem omnium optime conducit.

§. 12.

Actio voluntatis dicitur, *actio libera* seu *moralis*, et lex actionis liberae, quatenus rationi est conformis, vocatur *lex moralis*.

Voluntas itaque agit perpetuo secundum legem voluntatis; non vero semper secundum legem moralem.

§. 13.

Scientia legum moralium, seu scientia de dirigendis secundum rationem actionibus liberis, dicitur *Philosophia practica*.

§. 14.

Qui perficere sese cupit, is et conseruare perfectiones suas et augere allaborat.

§. 15.

Omnes homines eodem sese perficiendi studio trahuntur, atque in ea re obtinenda, alterum alteri maximo et auxilio et impedimento esse posse, experientia loquitur.

§. 16.

Itaque qui conseruare perfectiones suas cupit, ille et contra alium quemcumque hominem easdem factas tectas seruare conatur.

§. 17.

§. 17.

Hinc lex prima animae humanae perfecte, requirit, vt homo sese

- 1.) conseruet tum simpliciter, tum respectu ad alios;
- 2.) se perficiat tum simpliciter tum respectu ad alios.

Mittamus reliqua, quae pertinent ad philosophiam moralem, et persequamur, quae hominis aduersus hominem concernunt conseruationem.

§. 18.

Lex moralis de se contra alios conseruando, nominatur *lex* in specie, et complexus eiusmodi legum nuncupatur *ius*.

§. 19.

Leges, quas hic euoluere studemus, ex voluntate et ratione humana, hoc est, ex principio omnibus hominibus communi deducendae sunt. Recte igitur dicuntur hae *leges vniuersales*, et earum complexus meretur nomen *iuris vniuersalis*.

§. 20.

Aliunde notum est, quod *essentia* animae humanae consistat in eo, vt possit ratiocinando veritatem quaerere, et bonum appetere: *vis* autem animae in eo, vt actu ratiocinando veritatem quaerat, et bonum appetat. *Essentia* et *vis* rei iunctim sumtae

constituunt *naturam* rei. Quamobrem, quum ius nostrum vniuersale deducatur ex vi et essentia animae humanae: clarum est, illud originem trahere ex natura animae humanae. Hinc ius vniuersale merito nuncupatur *ius naturae*.

## §. 21.

Infra ostendemus, *statum hominis* esse vel *solitarium* vel *socialem*, integram vero gentem repraesentare singulum hominem. Itaque omne ius naturae abit vel in *ius naturae* in specie, vel in *ius sociale* et *ius gentium*.

## -1000- §. 22.

Porro constabit, *societatem* esse vel *minorem* vel *maiorē* seu *ciuitatem*; minorem vero esse vel *simplicem*, quo pertinet *societas matrimonialis*, *paterna*, *herilis*, vel ex his simplicibus *compositam*, id est *familiam*. Ex quo iuris socialis fonte emanant diuersae species: *Ius matrimoniale*, *paternum*, *herile*, *oecconomicum* seu *ius familiae*, atque *ius civile vniuersale*. Postremum completur et nexum imperantis cum subditis et subditorum inter se inuicem, inde *ius civile vniuersale* in *ius publicum* et *privatum* dispescitur.

## -1000- §. 23.

*Ius naturae*, quod cum *incunabilis mundi* singulorum hominum et *societatum simplicium*

cium, deinde familiarum et tandem gentium quoque dirigere actiones coepit, ipso vlu nulli vumquam aeuo incognitum fuit. Sed systematica eius tractatio diutissime neglecta effecit, vt sero admodum nobilissima doctrina inter reliquas disciplinas in formam artis redactas locum inuenerit.

## §. 24.

*Graecorum* Philosophorum sectae, quas postea et *Romani* propagauerunt, varia iusti atque iniusti struxere principia, non tamen separatis Philosophiae practicae a Iuris naturae rationibus. Quod medio etiam aevo a *Scholasticis* adeo fuit neglectum, vt potius, superadditis Theologiae Christianae Iuriumque Romani et Canonici principis, summa imis miscerent.

## §. 25.

Instaurata philosophandi libertate, NICOLAUS HEMMINGIUS ET BENEDICTVS WINCKLER ad explicandum ius naturale accesserunt, sed illotis manibus rem aggressi, incassum laborarunt. Felicius cessit HVGONIS GROTIJ labor, qui cum maxima nominis sui celebritate condidit ius belli et pacis, opus insigne, eruditum tamen magis, quam systematicum. Auide interim arreptum, pluribusque et compendiis et commentariis inde ad hunc vsque diem fuit illustratum.

## §. 26.

§. 26.

Noua principia nouamque methodum amplexus THOMAS HOBBSIVS, ingenium mathematicum optime philosophabatur; sed ex principio pessimo, cui æquius suum opposuit RICHARDVS CUMBERLANDIVS aliique, quibus tamen palmam praeripit SAMVELIS PVFENDORFFI ius naturæ et gentium, opus utilissimum et systematicum, atque ex aduersariorum aequè ac assæclarum cæterua celeberrimum.

§. 27.

Aliam viam ingressus CHRISTIANVS THOMASIVS, receptorum opinionum acer hostis, nouarum defensor non semper sibi constans, plura protulit haud dicta, non tamen meliora omnia. Maiori adhuc applausu CHRISTIANVS WOLFIVS et HENRICVS KOELBRVS, uterque LEIBNITII principiis nutritus, in iure naturæ secundum methodi demonstratiuæ regulas euoluendo desudarunt, atque huic doctrinæ lucem affuderunt sane eximiam: quorum vestigia et nunc premunt plurimi; licet non desint, qui pro ingenio quisque in varia abire malunt.

PRAE-

PRÆCOGNITA IVRIS NATURAE.

CAPVT. I.

DE

STATV HOMINIS MORALI.

§. 28.

**H**omo agit et corpore et anima. *Corpus* eius organicum actionibus edendis innumeris est adaptatum, quae partim a sola natura, hoc est a structura et vi sua, partim ab animae vi determinantur.

§. 29.

*Animae* actiones pariter sunt diuersi generis, Percipit anima, appereipit, cogitat, format ideas singulares, sentit, imaginatur, reminiscitur: in his constituitur *animae facultas repraesentatiua inferior.*

§. 30.

Tum vero attendendo, comparando et abstrahendo format notiones, iudicia, ratiocinia: quae iunctim sumta efficiunt eius *facultatem repraesentatiuam superiorem.*

§. 31.

Praeter hanc facultatem repraesentiuam anima humana, etiam *facultate appetitiua*

A 5

est.

est instructa, quam ut cognoscamus, haec praemittenda sunt.

§. 32.

*Varia*, quorum coniunctio ex ratione communi concipi potest, *consentiunt*: quorum coniunctio autem ita concipi nequit, ea *dissentiunt*.

§. 33.

Variorum consensus dicitur *perfectio*, dissensus *imperfectio*.

§. 34.

Perfectio relata ad aliquid dicitur *bonum*, imperfectio relata ad aliquid vocatur *malum*. Hinc bonum intuitu mei est, quod me perficit, malum intuitu mei, quod me imperfectiorem reddit.

§. 35.

Pone duo bona, alterum maius, alterum minus, ita ut 1) alterutrum non possit non existere, et 2) existentia vnius excludat existentiam alterius. Quod si hoc casu existit bonum minus, impeditur boni maioris existentia, ideoque plus imperfectio, quam perfectionis inde res capit. Ergo malum inde oritur intuitu boni maioris, cuius existentia impeditur. Hinc bonum eiusmodi minus est malum, atque vocatur *malum comparatiuum*. Eadem ratione demonstratur, malum minus respectu

Quod mali maioris esse bonum, cuiusmodi malum vocatur *bonum comparatiuum*. Huic malo et bono comparatiuo opponitur bonum et malum *absolutum*, quod per se tale est.

## §. 36.

Ex cogitatione perfectionis oritur in anima *voluptas*, uti ex cogitatione imperfectionis *taedium*.

## §. 37.

Ex cogitatione boni seu perfectionis, ad se ipsum relatae, oritur conatus versus bonum, id est ad bonum obtinendum: ex cogitatione mali, seu imperfectionis, ad se ipsum relatae, nascitur conatus aduersus malum, id est ad fugiendum malum. Prior conatus nuncupatur *inclinatio animae* siue *appetitus*, posterior *reclinatio animae* seu *auersatio*.

## §. 38.

Prouti bonum et malum est vel absolutum, vel comparatiuum; inclinatio et auersatio animae est vel *per se* vel *hypothetice* talis.

## §. 39.

Quidquid cogito, vel ut *sensibile*, vel ut *insensibile* cogito. Vnde sequitur, dari 1) *voluptatem* atque *taedium* tum *sensituum* tum *rationale*, 2) et *appetitum* et *auersationem*



tionem, ideoque omnem animae conatum respectu boni ac mali esse vel *sensitivum* vel *rationalem*.

## §. 40.

Interdum anima erumpit in *adfectus*, qui sunt conatus sensitivi vehementiores, seu praedominantes, hoc est, qui ceteros conatus coexistentes in anima supprimunt. Hi vel continent appetitum, qui progignit *adfectum gratum*, vel averfationem, qui creat *adfectum ingratum*:

## §. 41.

Dantur praeterea in anima conatus quidam ex repraesentatione boni vel mali obscura orti, qui vocantur *instinctus* seu *stimuli naturales*.

## §. 42.

Voluptas, taedium, appetitus, averfatio, quatenus hi omnes sunt *sensitivi*, porro affectus et instinctus naturales referuntur ad *facultatem animae appetitivam inferiorem*.

## §. 43.

Denique reperitur in anima humana *voluntas*, quae in genere est conatus ortus ex eo, quod tamquam bonum vel malum intelligere videmur. In specie *voluntas* sumitur pro appetitu orto ex eo, quod tamquam bonum intelligere videmur, et tunc ei opponitur *noluntas*, quae est averfatio orta ex eo, quod tamquam malum intelligere videmur.

In

In fequentibus, quae de voluntate dicentur, ita vt noluntatis mentio non fiat, de *voluntate in genere* intelligenda sunt.

## §. 44.

Vnde prono alueo effluit, voluntatem esse appetitum rationalem, noluntatem contra inuoluere auersionem rationalem.

## §. 45.

Voluptas, taedium, appetitus, auersio, quatenus hi omnes sunt rationales, consequenter etiam voluntas pertinent ad *facultatem animae appetitiuam superiorem*.

## §. 46.

Facultas inferior et repraesentatiua et appetitiua cum brutis homini est communis: superior vtraque homini tamquam spiritui est propria.

## §. 47.

His generalibus praemissis, nunc ad voluntatem eiusque actiones, quippe in quibus cardo omnis philosophiae practicae versatur, penitus inuestigandas accingimur.

## §. 48.

Ante omnia tenendum, ex conceptu voluntatis (§. 43.) id luculenter sequi, vt 1) nil nisi bona velimus, 2) nil nisi malis nolimus

limus, 3) malum minus respectu maioris velimus, 4) bonum minus respectu maioris nolimus.

Caue tamen existimes, id bonum, quod volumus, et malum, quod nolimus, esse debere bonum et malum: sufficit, id *videri* et cogitari tanquam bonum aut malum.

§. 49.

Tum illud firmiter asserendum, voluntatem numquam agere, nisi ex motiuis. *Motium* dicitur notio boni vel mali distincta voluntatem ad agendum determinans. Quum itaque motium sit id, quod tanquam bonum vel malum intelligere videtur, vnde oritur ille conatus agendi, quem nominauimus voluntatem: sequitur, vt absque motiuis non detur voluntatis actio.

Illud bonum vel malum cuius notio efficit motium, debet esse bonum obtinendum, vel malum fugiendum, vtrumque mediante actione. (§. 37. et 44.) Ergo voluntas agit ob actionis consecutarium. E. vult actionem, vt antecedens, ob eius consecutarium, vt consequens.

§. 50.

Ergo absque intellectu non concipitur voluntas, nec voluntatis actio.

§. 51.

Porro actiones voluntatis esse liberas euincendum est, de quo argumento sequentia

quentia notanda. *Necessarium* dicitur id, cuius oppositum est impossibile. Est autem aliquid impossibile vel per se vel sub data conditione: hinc etiam necessarium aliquid est vel *absolute* vel *hypothetice* tale. Hypothetica necessitas est vel *physica* seu *naturalis*, quae ab existentia huius univ-  
 versi dependet, vel *moralis*, quae ex ino-  
 tiuis concipitur.

## §. 52.

*Contingens* contra nuncupatur, cuius op-  
 positum est aequè possibile.

## §. 53.

Vnde evidenter constat,

1. posse aliquid esse hypothetice necessarium, quod absolute est contingens,
2. posse quid esse moraliter necessarium, quod physice est contingens,
3. solam necessitatem absolutam excludere omnem contingentiam.

## §. 54.

*Sponte* agit, qui ex inclinatione sua actionem determinat. *Eligit*, qui ex pluribus contingentibus ad optimum sponte se determinat.

## §. 55.

Anima humana habet facultatem eligendi, quod optimum intellectui videtur: quam facultatem vocant *libertatem mentis*.

## §. 56.

## §. 56.

Ex his iunctim sumtis evidens fit,

1. omnem actionem voluntatis inuoluerē necessitatem moralem;
2. omnem actionem voluntatis progeneri ex libertate mentis, cuiusmodi actio dicitur *actio libera ratione determinationis*, s. *actio interne libera*,
3. Necessitatem moralem non officere libertati mentis.

## §. 57.

Dum voluntas agit, mutationem reddit existentem, ergo efficit, vt quid existat, id est *praestat* aliquid.

## §. 58.

Quo quid per voluntatem nostram praestetur, requiritur, vt vires a voluntate pendentes ad id praestandum sufficiant, id est, vt quid *in potestate nostra* sit.

## §. 59.

Itaque actio voluntatis debet esse res in potestate nostra posita, cuiusmodi actio vocatur *libera ratione executionis*, seu *actio externe libera*.

## §. 60.

Actio libera quatenus bona vel mala consecretaria habet, dicitur ipsa *bona* vel *mala*, et quatenus bona vel mala est, vocatur *moralis*. *Moralitas* itaque actionis est relatio actionis

actionis liberae ad agentem, quatenus cum reddit vel perfectiorem vel imperfectiorem.

## §. 61.

Moralitas actionis vocatur *extrinseca* seu *subiectiva*; si a voluntate superioris dependet: sin minus; dicitur *intrinseca* seu *obiectiva*. Haec igitur moralitas in ipsa actionis essentia vel in eius accidentalibus, modo exceperis voluntatem superioris, sita est.

## §. 62.

Dati actiones liberas, quae citra respectum ad voluntatem superioris actu bonae vel malae sunt, experientia testatur.

## §. 63.

Itaque actiones liberas moralitatis intrinsecae capaces esse, seu *posse* esse morales, negari nequit.

## §. 64.

Sed vtrum omnis actio libera *actu* sit intrinsece moralis, disputatur. Evoluas principia, et facilis est decisio. Omnis actio libera mutat aliquid intuitu agentis (§. 1.). Illud mutatum seu novum in numero eorum variorum est, quae hominem constituunt. Ergo vel ad perfectionem vel imperfectionem agentis faciunt (§. 33.). Ita-  
que

B

que omnis actio libera aut est bona, aut mala. Ergo omnis actio libera est intrinsece moralis.

## §. 65.

Vnde colligitur, non dari *actionem* liberam, quae nec bona nec mala est, id est *indifferentem*.

## §. 66.

Licet negari nequeat, *animam* saepius *in* agendo esse *indifferentem*, quatenus actionem quamdam, quam cogitat, nec bonam nec malam esse perspicit.

## §. 67.

Porro notari debet, omnes actiones, quatenus ad eas agendas concurrit voluntas, eatenus accenseri liberis, siue sint actiones, quae mutationem extra nos producant, id est *externae*, siue quae eam minus producant, id est *internae*.

## §. 68.

Quapropter et in hunc actionum liberarum numerum omnino referendae sunt actiones physicae corporis, et facultatis animae repraesentatiuae inferioris et superioris; quin etiam facultatis appetitiuae inferioris, quatenus nimirum in iis exsequendis reperitur voluntatis cooperatio.

## §. 69.

## §. 69.

Denique an voluntas cogi possit? quaeritur. *Cogere* significat determinare alterum vt *inuite* agat, hoc est, id agat, quod per se auerfatur (§. 38.).

## §. 70.

Si determinatur alter ad vnicum; *coactio* vocatur *absoluta*: si ad vnum ex quibusdam determinatis eligendum; dicitur *hypothetica*.

## §. 71.

Libertatem mentis cum coactione absoluta consistere, ne fingi quidem potest; sed cum hypothetica coactione omnino consistere ex definitione patet. Hinc coacta hypothetice voluntas est vera voluntas, et actiones hypothetice coactae sunt actiones liberae.

Est tamen libertas mentis in coactione hypothetica admodum *restricta*, quum non ex omnibus possibilibus; sed ex determinatis propositis eligendi facultas detur.

## §. 72.

Haec de actionibus voluntatis sufficiant, Si respicis hominem intuitu actionum suarum liberarum: respicis eum in *statu* quodam, id est, in complexu mutabilium in homine coexistentium, qui status hominis re-

B 2

spectu



spectu actionum suarum liberarum in genere dicitur *status moralis*.

§. 73.

Quodsi consideras statum moralem respectu actionum, ex quibus ortus est; hic status posterior est actionibus liberis, et dici potest *consequenter moralis*, qui est vel bonus vel malus (§. 61.).

§. 74.

Si vero intueris statum hunc respectu actionum, ad quas edendas habilis est; status iste anterior est actionibus liberis, et vocatur *antecedenter moralis*.

§. 75.

Status antecedenter moralis intuitu actionis liberae agenda est *perfectus*; si agens iis et corporis et animae viribus instructus est, quae ad producendam actionem requiruntur: sin minus; dicitur *status imperfectus*.

§. 76.

Deficiunt generatim vires intuitu plurium actionum liberarum.

I. ob aetatem minorem, quo refer infantiam, impubertatem, pueritiam,

## C. I. DE STATU HOM. MORALI. 21

2. ob defectus *connatos*, seu corpus adficiant, seu animam;

3. ob defectum virium aduentitium, quo refer

a) *morbum*, siue impediatur usum corporis, siue usum intellectus,

b) ebrietatem,

c) somnum,

d) adfectum,

e) prauos habitus et consuetudines.

### §. 77.

#### Intuitu singularum actionum

1. ob *ignorantiam*, quae est absentia cognitionis rei,

2. ob *errorem*, quae est cognitio rei cum re non conueniens, quo refer opiniones falsas, vanas persuasiones, praeiudicia,

### §. 78.


Qui in statu eiusmodi imperfecto est constitutus, ille et plurium actionum liberarum edendarum inhabilis reperitur, et alias, quas agit, non agit ut liberas.

### §. 79.

Interim ad diiudicandas eiusmodi actiones de eo sollicitè disquirendum est, vtrum is status imperfectus enatus fuerit ex statu  
con-

consequenter morali, an minus. Posteriori casu actio ex statu imperfecto edita non est libera: priori casu contra liberis omnino accensetur, quum sit actionis voluntariae consequens (§. 49. not.).

Dantur itaque actiones, quae ipso actu non sunt liberae; sed ex consequentia sunt liberae.



PRAE-

CAPVT. II.

DE

OBLIGATIONE ET LEGE  
MORALI.

§. 80.

*Obligat* in sensu generalissimo, qui nectit bonum vel malum consequarium cum actione spontanea.

§. 81.

Actio spontanea est, vel libera vel non libera. Hinc obligat quis vel *moraliter* vel *non moraliter*.

Obligari itaque ens omne potest, quod actionum spontanearum est habilis. Obligari vero moraliter, nisi ens actionum liberarum capax, nequit.

§. 82.

Qui obligat ad actionem liberam, determinat voluntatem per notionem boni vel mali, id est per motiium: (§. 49.) Hinc  
*Ob.*

B 4

*Obligatio moralis* vocatur connexio motiui cum actione libera.

Itaque, vt, quae sit obligationis moralis natura, plene intelligatur, ad hos tres characteres, motiuum, actionem liberam et constitutionem nexus motiuum inter et actionem liberam animum aduertamus.

§. 83.

Qui nescit cum actione libera motiuum, nescit bonum vel malum consecretarium. Hinc obligatus, si agit obligationi morali conformiter; bonum connexum obtinet, vel malum connexum euitat: sin minus; bonum connexum non obtinet, aut malum connexum non euitat.

§. 84.

Quale motiuum, talis obligatio. Hinc  
1. quo debiliora vel fortiora motiua: eo debilior vel fortior obligatio.

2. Ex motiuis veris oritur vera, ex erroneis spuria, ex certis certa, ex probabilibus probabilis, ex indirectis directa obligatio, cct.

§. 85.  
Repraesentatio boni vel mali, quae non est motiuum, non constituit obligationem moralem. Hinc minus apte loquuntur, qui

qui adferunt, obligationem omnem consti-  
tuit vel spe vel metu proposito.

Spes et metus tanquam conatus sensitivi,  
ortu ex ideis singularibus, incurgere duntaxat  
possunt obligationem non moralem.

§. 86.

Motivum flectit voluntatem. Motivum  
continens bonum flectit voluntatem in spe-  
cie, motivum continens malum flectit no-  
luntatem. Hinc *divisio obligationis in po-  
sitivam, qua flectitur voluntas, et negati-  
vam, qua flectitur noluntas.*

§. 87.

Obiectum omnis obligationis moralis est  
actio libera et interne et externe talis. Hinc  
in res impossibiles, in res aut absolute aut  
physice necessarias, in res extra potestatem  
nostram positas non cadit obligatio mo-  
ralis.

§. 88.

Actio libera supponit usum intellectus.  
Hinc qui caret usu intellectus, moraliter  
obligari nequit.

§. 89.

Omne motivum agendi praecedit ipsam  
actionem liberam. Hinc non constituitur  
obligatio, nisi in actiones futuras. Hoc ita-

B 5

que

que sensu in actiones praeteritas non cadit obligatio.

§. 90.

Constituere obligationem: actio quaedam libera nondum existens huic obligationi conformiter est dirigenda. Pone hanc obligationem esse positivam: actio libera est committenda. Pone eam esse negativam: actio libera est omittenda.

§. 91.

Inde est, quod actionis liberae in *commis-*  
*suam* et *omissuam* distinctio originem traxit.

§. 92.

*Auctor actionis* appellatur, ad cuius voluntatem existentia vel non existentia actionis referri potest.

§. 93.

Qui actionem liberam, cui obligatio inest, committit vel omittit, ad eius voluntatem referri potest commissio vel omissio actionis. Igitur ut quis obligari possit, requiritur, ut auctor esse possit eiusmodi actionis.

§. 94.

Dum connectuntur bona vel mala con-  
se-

sectaria cum actione libera: obligatio moralis oritur. Quoad perdurat haec connectio; perdurat obligatio. Quando illa tollitur: haec cessat.

§. 95.

Qui obligatur ad vnum connexorum, obligatur etiam ad alterum. Posito enim vno connexo ponitur quoque alterum. Sed nisi haec connexa inseparabiliter talia sint; obligatio indirecta eatenus spuria est.

§. 96.

Dependet hic nexus consecratorum cum actionibus liberis vel ab arbitrio alterius, vel a natura huius vniuersi, hoc est et hominis et actionis liberae cum omnibus suis circumstantiis. Hinc *obligatio moralis* vel est *positiua* vel *naturalis*.

Qui hunc obligationis naturalis conceptum pro errore ad Atheismum duci contendunt, facile conciliari nobiscum poterunt.

§. 97.

Quum detur omnium actionum liberarum moralitas intrinseca, sequitur, vt

1. detur obligatio naturalis, quae
2. ad omnes actiones liberas aut committendas aut omittendas, et
3. ad omnes homines sese extendat.

§. 98.



## §. 98.

Omnis obligatio naturalis eo tendit, vt

1. bona vera faciamus;
2. mala vera intermittamus,
3. bona minora fugiamus,
4. mala minora amplectamur.

## §. 99.

Obligatio naturalis est *immutabilis*, quoad perstat ea hominis natura, vt bona velit, mala nolit, et hoc sensu a nonnullis vocatur *aeterna*.

## §. 100.

Obligatio naturalis est *indispensabilis*, quatenus nemo mortalium ab ea liberari potest. Quum enim moralitas actionum intrinseca ab actionibus liberis sit inseparabilis: etiam obligatio moralis ab actionibus liberis separari nequit.

## §. 101.

Saepe

1. ad eandem actionem liberam pluribus motibus determinamur, vnde oritur *motivum compositum*,

2. vna eademque actio libera ex pluribus aliis partialibus est confata, vnde nascitur *actio composita*: Vtroque casu datur *obligatio composita*, quae plures sub se comprehendit partiales.

## §. 102.

## §. 102.

Plurium bonorum inter se collatorum dantur gradus; malorum itidem. Ergo motiuorum quoque et obligationum dantur gradus, ita ut duorum vel plurium motiuorum, duarum vel plurium *obligationum* inter se collatarum alia sit *maior*, alia *minor*.

## §. 103.

Ex his duobus §. §. elucet, obligationem moralem quantitatis et mensurae esse capacem.

## §. 104.

Tantum de obligatione. Accedimus ad considerationem legis moralis. Diximus *legem moralem* esse propositionem, secundum quam actio libera rationi conformiter determinatur.

## §. 105.

Ratio intuitu actionum liberarum repraesentat nobis bona et mala consequentia earundem, ideoque subministrat motiva cum actionibus connexa. *Lex igitur moralis* est propositio, quae exprimit obligationem moralem, seu est propositio obligatoria, seu, ut cum aliis loquar, propositio, secundum quam actiones liberas dirigere obligamur.

## §. 106.

Quum obligatio moralis sit vel positiva  
vel

vel negatiua: *lex moralis* inde dispescitur in *praeceptiuam* et *prohibitiuam*.

Quidquid non continet obligationem, illud lex dici neutiquam potest. Hinc, quid de *lege* sic dicta *permissiua* sit sentiendum, intelligitur.

§. 107.

Lex *praeceptiua* omnis inuoluit simul *prohibitiuam* contrarii. Lex *prohibitiuam* non aequae continet *praeceptiuam* contrarii. Dantur tamen *leges prohibitivae*, quae simul sunt *praeceptivae actionis contrariae*.

§. 108.

Ex idea obligationis deriuatur, *leges morales* esse vel *naturales* vel *positiuas*.

§. 109.

Dantur *leges naturales*, atque omnes homines obligantur, omnes actiones liberae diriguntur his legibus naturalibus (§. 97.).

§. 110.

Lex prima naturalis omnium actionum liberarum est: *perface te*.

§. 111.

Quicumque ad hanc normam dirigit actiones suas liberas, is naturae humanae et rationis dictamini viuit conuenienter.

§. 112.

Haec lex prima naturalis est immutabilis, aeterna, indispensabilis (§. 99. & 100.).

§. 13.

## §. 112.

Perfectio hominis est perfectio maxime composita. Hinc clarum est, ex lege prima naturali infinitas deduci posse *leges subordinatas*.

## §. 114.

Legum naturalium subordinatarum dantur gradus, ita ut alia sit maior, minor alia, prouti nimirum altera maiorem, altera minorem continet obligationem.

## §. 115.

Homo praeterea est ens finitum. Hinc fieri potest, ut perfectio partis eiusdem sit imperfectio alterius partis vel totius hominis. Ex quo consequitur, ut dum leges naturales subordinatas plures simul exsequi vult, eas reperiat sibi interdum contradicentes seu inter se *collidentes*. Leges igitur naturales subordinatae inter se collidere possunt.

## §. 116.

Datur

1. Legum prohibitiuarum inter se,
2. praeceptiuarum iuter se,
3. legum praeceptiuarum cum prohibitiuis collisio.

## §. 117.

In collisione legum alterutra, ut negligatur, necesse est. Neglectio legis, quatenus cum altera collidit, vocatur *exceptio*. Itaque a lege naturali subordinata ut fiat exceptio, interdum necesse est. §. 118.

§. 118.

Ex lege *perficere* te sequitur lex: In collisione perfectionum praeter maiorem minori, atque illam arripe, hanc respue, ideoque lex: excipe a perfectione minore, vt obtineas maiorem.


§. 119.

Hinc lex summa omnis collisionis legum et exceptionis: Neglige legem minorem, vt satisfiat maiori.

Itaque in hac legum collisione *vincit* lex maior, *cedit* lex minor.

§. 120.

Haec lex collisionis eodem modo, quo lex prima naturalis, est immutabilis, aeterna et indispensabilis.



PRAE-



## PRAECOGNITORVM IVRIS NATVRAE.

## CAPVT. III.

DE

## IMPVTATIONE MORALI.

## §. 121.

Vidimus capite I. quae sit actionis liberae generatim et ante legem consideratae indoles: capite II. eam perspeximus, quatenus ad legis moralis praescriptum est dirigenda, ideoque quatenus nondum existit. Restat, vt in eandem inquiramus, quatenus actu dirigitur, siue illud fiat conformiter siue non conformiter legi, ideoque quatenus est existens.

## §. 122.

Actio spontanea, quatenus vt singularis et sub obligatione consideratur, dicitur *factum*. Eiusmodi factum est vel actio libera, vel minus. Hinc *factum* est vel *morale*, vel non morale.

## §. 123.

Factum morale

1. est vel *commissuum* vel *omissuum* (§. 91.),
2. legi, cui subest, vel conuenit vel minus conuenit.

C

## §. 124.

## §. 124.

## Factum morale

1. legi praeceptivae conuenit; si actio libera, quam committere obligamur, committitur: non conuenit; si omittitur.

2. legi prohibitiuae conuenit, si actio libera, quam omittere obligamur, omittitur: non conuenit; si committitur.

## §. 125.

Factum legi morali conueniens est *rectum*, non conueniens, est *minus rectum*.

## §. 126.

Leges morales requirunt rectitudinem facti. Quod si haec deficit, inspiciendum, an eam rectitudinem assequi fuerit in potestate agentis vel minus, id est, an defectus rectitudinis fuerit *vincibilis* vel *invincibilis*.

## §. 127.

Id quod extra potestatem nostram est, non est actio libera (69 §), non legi morali obnoxium, non factum morale. Leges itaque morales non aliam requirunt facti rectitudinem nisi possibilem, ut adeo defectus rectitudinis *invincibilis* sit extra sphaeram moralem.

## §. 128.

Defectus rectitudinis facti *vincibilis* dicitur *reatus*.

## §. 129.

§. 129.

Causa reatus vel in intellectu vel in voluntate sita est. Ille dicitur *culpa*, hic *dolus*.

§. 130.

Culpa species sunt *ignorantia vincibilis*, *error vincibilis*, *incogitantia*, *improvidentia*, *praecipitantia*, *incuria*.

§. 131.

Culposus agit contra legem; sed in ipso actu non vult agere contra legem. Nihilominus actio culposa etiam, quatenus est actio contra legem per consequentiam, ad liberas refertur (§. 79.).

§. 132.

Contra dolosus simul vult agere contra legem, ideoque sciens et volens violat legem.

§. 133.

Circa leges prohibitiuas omnis culpa et dolus consistit in committendo, circa praeceptiuas in omittendo (§. 123.).

§. 134.

In eo scilicet praeceptiuae leges a prohibitiuarum legum indole distant, quod illae per se requirant voluntatem efficacem, haec minus. Intuitu illius sequentia veniunt notanda.



## §. 135.

*Finis* est obiectum, propter quod ut existat, vel non existat, voluntas agit: repraesentatio finis in mente dicitur *intentio*.

## §. 136.

*Finis* est

1. vel *primarius*, propter quem voluntas ageret, licet alium finem non haberet, vel *secundarius*, ob quem solum, nisi alius subesset, non ageret voluntas.

2. vel *directus*, quem per se intendit voluntas, vel *indirectus*, quem per se non intendit voluntas, qui tamen ex fine obtento sequitur.

Inde et concipitur *intentio primaria, secundaria, directa, indirecta*.

## §. 137.

*Remedium* est causa finis, et quum causa sit vel sufficiens vel minus; remedium quoque erit vel *sufficiens* vel *insufficiens*.

## §. 138.

*Impedimentum* est id, quod contradicit v-sui remediorum. Hinc remotio impedimenti ad remedia est referenda.

## §. 139.

*Occasio* est euentus, per quem finis fit possibilis. Quodsi occasio accedente facto nostro

stro existit; vocatur *suscitata*; sin minus; *expectata*.

§. 140.

*Voluntas* dicitur *efficax*, seu vno verbo *propositum*, quae cum vsu remediorum est coniuncta: sin minus; vocatur *inefficax*.

Hinc clarum est, *dolose* agentem habere intentionem directam et propositum violandi legem; *culpose* agentem minus (§. 128, 130. et 131.).

§. 141.

*Efficax*, voluntas appellatur *efficiens*, quae finem obtinet, et *inefficiens*, quae finem haud obtinet.

§. 142.

*Voluntas* efficax, quantum in potestate sua est, adhibet remedia, remouet impedimenta, vtitur occasione. Ab his attributis propriis ad voluntatem efficacem, ab eorum defectu ad voluntatem inefficacem valet argumentatio.

§. 143.

Leges praeceptivae obligant ad actionem committendam, ideoque requirunt in agente non voluntatem tantummodo; sed simul voluntatem efficacem.

§. 144.

Vltra posse nemo obligatur (§. 87.).

C 3

Hinc

Hinc leges non requirunt voluntatem efficientem, nisi quatenus id efficere est in potestate agentis.

§. 145.

Qui obligatur ad finem: obligatur ad vsum remediorum possibilium atque occasionis, et ad remotionem impedimentorum vincibilium (§. 127.).

Datur *possibile internum & externum*, datur etiam *morale*, quatenus quid legi morali non contradicit. Vnde, quotuplicia sint tum remedia possibilium, tum impedimenta vincibilium, intelligitur.

§. 146.

Hinc qui per legem praeceptivam obligatur ad factum morale committendum, obligatur etiam ad vsum remediorum cet.

§. 147.

Vsus virium in explenda lege praeceptiva vocatur *diligentia*.

§. 148.

Dantur vires corporis, animae et status externi; in harum omnium vsum occupata est diligentia.

§. 149.

Leges praeceptivae requirunt diligentiam. Diligentia, quatenus legi est conformis, dicitur *debita* seu *legitima*.

§. 150.

## §. 150.

*Remedium* quod nec maius nec minus est sine obtinendo, vocatur *proportionatum*. Vnde quid *vsus virium proportionatus* sit, intelligitur.

## §. 151.

Praestatur itaque diligentia debita, vbi *vsus virium possibilium* fuerit *proportionatus* explendae legi praeceptiuae.

## §. 152.

Qui maiorem pro debita diligentiam adhibet, *ultra debitum* agit; qui minorem, *infra debitum* agit.

## §. 153.

Qui non vtitur viribus possibilibus in explenda lege praeceptiua, dicitur omittere diligentiam debitam, et haec omissio vocatur *negligentia*.

## §. 154.

*Vsus virium contra legem*, siue illa sit praeceptiua, siue prohibitiua, dicitur *abusus virium*.

## §. 155.

Omnis actio *infra debitum*, omnis *negligentia* et *abusus virium* continent reatum (§. 127.), ideoque vel culpam vel dolum (§. 128.).

## §. 156.

Iam descendamus ad imputationem. *Imputo* sensu generalissimo, dum alicui tribuo factum eiusue confectionarium. Factum est vel morale vel non morale (§. 122.). Hinc *imputo* aliquid vel *moraliter* vel *non moraliter*.

## §. 157.

Quod ad imputationem *moralem* attinet, notandum, confectionarium facti *moralis* dici in genere *meritum*, atque si bonum est; *meritum in specie* seu *praemium*: si malum est; *demeritum* seu poenam.

Datur proinde cum *meritum* seu *praemium* et *naturale* et *positivum*; tum etiam *demeritum* seu poena et *naturalis* et *positiva*.

## §. 158.

Est itaque *imputatio moralis* iudicium, quo alicui factum morale eiusue *meritum* tribuitur. Si utrumque simul tribuitur; *imputatio* dicitur *plena*: si alterutrum duntaxat; *minus plena* appellatur. *Minus plena* est vel *facti* vel *legis imputatio*: prouti alicui tribuo aut factum morale tantummodo, aut *meritum sui facti moralis*.

*Legis* tamen *imputatio* semper supponit *imputationem facti*, nec nisi *idealiter* ab hac separari potest.

## § 159.

## §. 159.

Quodsi alicui tribuo *factum* morale; eum facti moralis esse auctorem adfirmo (§. 29.); si *meritum facti* moralis alicui tribuo; adfirmo, ad auctorem facti moralis eiusdem meritum pertinere.

## §. 160.

Imputatio est iudicium. Datur itaque imputatio *vera*, *erronea*, *certa*, *dubia*, *probabilis*. Quotuplex scilicet iudicium, totuplex esse potest etiam imputatio.

## §. 161.

Soli (§. 93.) et omni (§. 158.) auctori factum morale est plene imputabile. Auctor facti moralis dicitur quoque eius *caussa*. Datur *caussa facti physica*, seu *immediata*; si quis ipse peragit: *moralis* seu *mediata*; si quis alium ad agendum determinat. Datur porro *solitaria*; si quis solus: *socia*; si quis simul cum aliis factum perpetrat. Vnde nascuntur *concaussae*, si plures sunt eiusdem facti moralis auctores. De quibus omnibus tenendum, quod, quatenus *caussa facti moralis* in voluntate alicuius posita est, eatenus ei factum moraliter imputari possit.

*Causa moralis* multiplici modo exstare potest. Vnde noti Hexametri:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

C 5

Hinc

Hinc simul decisio petenda, quatenus *factum morale alienum* alicui sit imputabile.

§. 162.

Imputatio facti continet iudicium, quod et intuitivum et discursivum esse potest: imputatio autem legis absoluitur duplici iudicio discursivo seu ratiocinio, cuius conclusiones sunt:

1. Hoc factum morale continetur sub hac lege,
2. ad hunc auctorem huius facti moralis pertinet hoc meritum.

§. 163.

Posterior conclusio formatur ratiocinio, cuius maior propositio est lex, minor factum morale. Hinc *imputatio plena* dicitur applicatio legis ad factum (§. 157. not.).

§. 164.

Imputatio plena est iudicium de praemio vel poena, de bonitate vel prauitate, de moralitate facti.

§. 165.

Vt quis imputationem plenam recte instituat, requiritur, vt nec quoad legem nec quoad factum morale seu in ignorantia versetur, seu errorem committat.

§. 166.

Diluendae imputationi plenae quadruplex inseruit modus: I. vt

1. vt factum morale,
2. hoc factum ab hoc auctore perpetratum,
3. lex,
4. hoc factum sub hac lege contineri, negetur.

§. 167.

Quidquid non est factum morale, illud moraliter non est imputabile. Itaque

1. quidquid non est actio libera, non est moraliter imputabile,
2. quatenus actio libera non considerari potest sub lege, eatenus non est imputabilis.

Ex 1. constat, libertatem internam atque externam esse imputationis basin.

§. 168.

Omissio facti moralis, cuius agendi occasio deficit, non imputatur (§. 139.).

§. 169.

Facta ex statu imperfecto proficiscentia sunt moraliter imputabilia, quatenus haec facta sunt moralia, hoc est, quatenus hic status ex statu consequenter morali ortus est (§. 79.).

§. 170.

Hinc vitia corporis animique, facta in ebrietate, vel in somno, vel in furore aut in-



infania, vel ex moribus diuturna adfuetudine firmatis perpetrata eatenus imputantur, quatenus per agentem stetit, quo minus huiusmodi quid contingeret (§. 19.).

§. 171.

Factum rectum, voluntas efficax et efficiens, item diligentia debita intuitu legis praeceptivae et actio ultra debitum imputabiles sunt in praemium.

§. 172.

Reatus, culpa, dolus, et quod attinet ad leges praeceptivas, defectus voluntatis efficacis, actio infra debitum, negligentia, abusus virium imputabiles sunt in poenam.

§. 173.

Imputatio legis et imputatio plena vel est *naturalis* vel *positiva*.

§. 174.

Datur imputatio naturalis, quae sese extendit ad omnia facta moralia et ad omnes homines (§. 97.)

§. 175.

Dantur gradus in imputatione ita, ut aliud factum morale quoad imputabilitatem sit maius, aliud minus (§. 101. 102.).

PRAE-

PRAECOGNITORVM IVRIS NATVRAE

CAPVT IV.

DE

DISCRIMINE OFFICIORVM  
NATVRALIVM.

§. 176.

**E**x lege morali generalissima: *perfice te,*  
deducitur obligatio ad perfectiones  
nostras

1. *conseruandas* et respectu aliorum et  
citra hunc respectum,

2. *augendas* tum respectu ad alios tum  
quoque citra hunc respectum (§. 17.).

§. 177.

Nemo obligatur ad id quod per vires  
suas vel per leges morales impossibile est  
(§. 145. not.) Itaque omnis obligatio mo-  
ralis coniuncta est

1. cum possibilitate agendi respectiue sum-  
ta, id est *facultate,*

2. et quidem cum facultate legibus mo-  
ralibus conformi, id est *facultate morali.*

§. 178.

Ex quo consequitur, vt cuilibet sit facul-  
tas moralis, perfectiones suas

1. *conseruandi* et respectu aliorum et citra hunc respectum,

2. *augendi* et respectu aliorum, et citra hunc respectum.

§. 179.

Diximus supra (§. 18.), legem moralem de se contra alios seu respectu ad alios conseruando vocari legem in specie, atque exinde totum naturae ius deriuari asseruimus. Igitur quae ex hac lege oriatur facultas, quae obligatio, ante inuestigandum, quam, quae reliquarum legum moralium ab eadem sit discrepantia, exponamus.

§. 180.

Ex lege morali de se conseruando fluit facultas moralis ea omnia agendi, quae ad hunc finem obtinendum tamquam remedia faciunt, ideoque etiam facultas remouendi conseruationis impedimenta (§. 145.).

§. 181.

Ponamus, alterum agere contra conseruationem nostram, id est eam *turbare*: ad est impedimentum conseruationis nostrae, ideoque facultas moralis nobis datur, id remouendi. Ponamus hanc facultatem eo vsque non protendi, vt alterum cogere possimus, quo abstineat ab hac turbatione: id contradiceret legi de nobis conseruandis. Ergo eius oppositum conuenit huic legi.

Ita-

Itaque est nobis facultas moralis cogendi alterum, ne turbet conseruationem nostram.

## §. 182.

Facultas moralis cogendi alterum dicitur *ius subiectiue* seu pro qualitate personae sumtum. Lex igitur: *conserua te* porrigit ius contra quemlibet, qui turbat perfectiones nostras.

## §. 183.

Hæc facultas moralis cogendi demonstratur ex lege de se conseruando addita hypothese: quod alter turbet nostram conseruationem. Remoue hypothesein, tollitur facultas moralis cogendi. Ergo ex lege de se conseruando non alia effluit facultas cogendi nisi *hypothetica*, s. *euentialis*. Hinc omne *ius* est facultas moralis cogendi alterum euentialiter.

## §. 184.

Qui alterius conseruationem turbat, agit contra legem moralem, ergo contra obligationem moralem.

## §. 185.

Obligatio ad non turbendam conseruationem alterius est coniuncta cum facultate morali cogendi alterius, cuiusmodi *obligatio* dicitur *perfecta*.

## §. 186.

## §. 186.

Ergo quilibet perfecte obligatur ad non turbendam alterius conseruationem.

## §. 187.

Lex moralis, quae continet obligationem perfectam, dicitur ipsa *lex perfecta*.

## §. 188.

Ergo haec lex: ne turbes conseruationem alterius, est lex perfecta.

## §. 189.

Lex moralis: *conserua perfectiones tuas citra respectum ad alios* supponit, alium non adesse, qui turbare velit conseruationem meam. Ergo circa hanc legem hypothesis: quod aliquis turbet, locum non habet. Ergo nec facultas cogendi, nec obligatio perfecta inde deriuatur. Ergo haec lex non est lex perfecta.

## §. 190.

Eadem ratione euincitur, legem moralem: *auge perfectiones tuas citra respectum ad alios* obligationem perfectam haud progenerare. Ergo et haec lex moralis non est lex perfecta,

## §. 191.

Supereft lex moralis: *auge perfectiones tuas respectu aliorum*. Augentur perfectiones meae respectu aliorum, dum alii ad me perficiendum concurrunt. Hinc deriuatur lex: *cura, ut alii te perficiant*.

## §. 192.

§. 192.

Quilibet igitur habet facultatem moralem efficiendi, vt alii eum perficiant. Haec facultas ad finem tribuit etiam facultatem remouendi impedimenta.

§. 193.

Quodsi alter me perficere nolit; adest impedimentum, adest facultas moralis illud remouendi. Pone

1. hanc meam facultatem eo vsque non extendi, vt ad me perficiendum cogere alios possim: illud non contradicit legi de se conseruando intuitu mei, ergo eius oppositum non necessario ex lege de se conseruando deriuatur. Pone contra

2. hanc facultatem eo vsque protendi, vt cogere possim: tum illud contradicit legi de se conseruando intuitu alterius (§. 69. et 37.), consequenter iuri alterius (§. 182.) et obligationi meae perfectae (§. 185.). Igitur euidentissime patet, legem moralem: cura, vt alii te perficiant, neutiquam dare facultatem cogendi alterum. Vnde lequitur, vt nec haec lex moralis sit lex perfecta.

§. 194.

Perficere alii me studebunt, dum ego illos perficiendi studium demonstro, *per psychologiam*. Hinc ex lege morali: cura

D

vt

vt alii te perficiant, nascitur lex : *perfice alios.*

§. 195.

Perfice alios, est lex subordinata legi: cura, vt alii te perficiant. Hinc: *perfice alios* non est lex perfecta.

§. 196.

Quandoquidem nunc euictum est, ceteras omnes legis moralis vniuersalis species praeter legem: *ne turbes aliorum conseruationem*, esse leges morales non perfectas: luculentissime constat, hanc legem moralem esse inter omnes vnicam, quae sit perfecta.

§. 197.

Actio legi morali conformanda vocatur *officium*. Si lex est perfecta; officium erit *perfectum* seu *necessitatis*: sin minus; officium erit *imperfectum*.

§. 198.

Sola officia, quae deriuantur ex lege: *ne turbes aliorum conseruationem*, sunt perfecta, reliqua officia erga se ipsum et erga alios in censu perfectorum non existunt (§. 196.).

§. 199.

*Licet* id, quod legi morali non repugnat. Hinc quum variae sint leges, eadem actio  
pro

pro diuersitate legum, ad quas refertur, et licita et illicita esse potest.

§. 200.

Omne officium est actio licita; sed omne licitum non simul est officium.

§. 201.

Fieri potest, vt collidat inter se duorum officiorum simultanea obseruantia (§. 115.)

§. 202.

Si collidunt duo officia erga alios, alterum perfectum, alterum imperfectum: collidit obligatio perfecta cum imperfecta. Illa est maior, quia coniuncta cum facultate cogendi, haec minor: Hinc in collisione eiusmodi lex est naturalis: *neglige officium erga alios imperfectum, vt satisfiat officio perfecto.*

§. 203.

Si collidit officium perfectum cum conseruatione hominis totali: oritur status hominis in collisione officii perfecti cum conseruatione sua totali constituti. Hic status dicitur *extraordinarius*, seu *irregularis*, cui opponitur status ab eiusmodi collisione vacuus, qui nuncupatur *ordinarius* seu *regularis*.

§. 204.

Inter hoc sacrum atque laxum quid remedium

D 2

medii



medii superest homini ad expediendam salutem? Inquiramus. Si negligis conseruationem totalem; necessario peris, quod malum inter quaelibet alia est maximum: si negligis officium perfectum; non necessario peris, et malum adest minus. Itaque in statu extraordinario est lex naturalis: *neglige officium perfectum, ut conseruationi tuae totali consulas.*

Vnde brocardicum: necessitas non habet legem, qua ratione fit explicandum, intelligitur.

§. 205.

Hinc nascitur facultas moralis negligendi officium perfectum ob conseruationem suam totalem, quae dicitur *fauor necessitatis.*

§. 206.

*Fauor necessitatis*

1. non datur, nisi quatenus adest dicta collisio,
2. conuenit legi naturali summae (§. 118. et 119.), ergo est actio licita:
3. contrariatur legibus perfectis, ergo non est ius.

§. 207.

**Collisio officii perfecti cum conseruatione**

ne totali est ratio, ex qua concipitur status  
 extraordinarius. Hinc vocatur per excel-  
 lentiam *ratio status*.

§. 208.

Officia erga nos et officia erga alios im-  
 perfecta, quae et dicuntur officia humani-  
 tatis, in doctrina ethices et politices expo-  
 nuntur : nos his praetermissis nunc ad iu-  
 ris vniuersalis tractationem, quod solo offi-  
 ciorum perfectorum ambitu continetur,  
 accingimur.



ELE-

D 3

## ELEMENTA IVRIS NATVRALIS.

## INTRODVCTIO

DE

IVRE NATVRAE IN  
GENERE.

§. 209.

**E**x superioribus constat, leges perfectas vocari eas, quae obligationem perfectam continent. Lex perfecta dicitur in specie et per excellentium *lex*, et legum eiusmodi complexus vocatur sensu generali *Ius*, *obiectiue sumtum*,

§. 210.

Omnes leges in naturales et positivas distinguntur. Hinc etiam *ius*, erit vel *naturale* vel *positivum*.

§. 211.

*Ius naturale* est pars philosophiae practicae. Doctrina philosophiae, quo fiat certa atque indubitata, requirit, ut secundum rectam demonstrandi methodum proponatur. Hinc uti philosophia tamquam genus definitur per scientiam: *ius* etiam naturale tamquam species per scientiam defini debet. Est itaque *ius naturale* scientia legum perfectarum naturalium.

§. 212.

## §. 212.

Ius naturae quum cognoscatur ratione, ideoque ratiociniis eruatur: admittere debet *principium* aliquod cognoscendi

1. *vniuersale*, ex quo omnes leges perfectae naturales deduci possint,

2. *domesticum*, quod continetur in ipso iure naturali, nec tamen plurium propositionum rationes complectitur, quam quae in iure naturae obueniunt,

3. *primum*, quod ex ipso iure naturae demonstrari nequit, et

4. *adaequatum*, vnde nec plures nec pauciores propositiones, quam quae ad ius naturae pertinent, erui possunt.

## §. 213.

Propositio: *ne turbes aliorum conseruationem*, est principium vniuersale, domesticum, primum et adaequatum iuris naturae.

*Ne turbes aliorum conseruationem* est lex ipsa perfecta. Deduximus illud ex principio: *conserua te contra alium*, addita hypothese: *alium nos turbare in nostra conseruatione*. Conserua te contra alium, non est lex perfecta, quia non continet obligationem perfectam. Ergo nec est principium adaequatum iuris naturae, sed est principium philosophiae practicae, quod est principium iuris naturae

D 4

pro-

proximum. Et hæc est ratio, cur illud supra stabiliendum fuerit, quum ultra progredi iusta methodus vetaret.

Nunc quoque plene intelligimus, quod in prolegomenis clare tantum cognoscere datum fuit, quatenus scilicet leges de se contra alios conseruando sint *leges in specie*, et quatenus harum legum complexus efficiat *ius*.

§. 214.

Actio contra legem perfectam vocatur *laesio*. Hinc: *neminem laede*, est lex perfecta.

§. 215.

Ex quo colligitur, quatenus et illud principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ad legum perfectarum numerum sit referendum.

§. 216.

*Suum* alicuius vocatur, in quod ei ius est. Suo opponitur *alienum*, quod est suum alterius. Itaque: *suum cuique relinque seu tribue*, et: *abstine ab alieno* sunt leges perfectae.

§. 217.

*Damnum* est malum alicui ortum ex alterius laesione. Quapropter: *Nemini damnum infer* est lex perfecta.

§. 218.

## §. 218.

*Reparare damnum est efficere, vt damnum datum cesset. Hinc: damnum datum repara est lex perfecta.*

## §. 219.

Qui legi conformiter agit, eam obseruat: qui minus, eam violat. Qui legem perfectam violat, dicitur *iniustus*: qui minus, nuncupatur *iustus*. *Iniustitia actionis* est ea actionis qualitas, quatenus legi perfectae contradicit: *iniustitia personae* est ea personae qualitas, quatenus legem perfectam violat. Vnde, quid *iustitia actionis* et *personae* sit, facile patet. Quamobrem: *ne sis iniustus, seu cole iustitiam, est lex perfecta.*

Haec personae *iustitia* iure naturali cuiusque tribuenda, qui non violat leges perfectas. Neque requirit habitum obseruandi leges perfectas, ergo non vt *virtus* consideratur. Vno verbo: ius naturae non requirit virtutem; licet nec eam excludat.

Leges: ne turbes conseruationem aliorum, neminem laede, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, suum cuique, ne inferas damnum, damnum datum repara, ne sis iniustus, aequalis sunt extensionis atque eiusdem generis, hinc sibi inuicem substitui possunt.

## §. 220.

Ius naturae non nisi in legibus perfectis, in iure, in obligatione et imputatione perfecta, in officiis perfectis, in actionibus iustis atque iniustis occupatur. Ergo reliquae omnes leges naturales, facultates agendi morales, obligatio, imputatio, officia naturalia, actiones morales extra sphaeram iuris naturae sunt constitutae.

In hoc sita est iuris naturae nota characteristicam, qua et a philosophia practica, quae iuris naturalis est genus, et ab ethica atque politica, quae iuris naturae sunt conspecies, distinguitur. Hanc differentiam specificam ulterius et curatius expendere paucis tentabimus.

## §. 221.

In iure naturae omnis de actione quaestio eo redit, vtrum sit contra obligationem perfectam nec ne. Quatenus contra obligationem perfectam esse reperitur, eatenus alteri facultas oritur cogendi, ideoque mala inferendi. Ad hoc vnicum actionis consecutarium in iure naturae attenditur. An alia vel bona vel mala consecutaria habeat actio, non inquiritur. Hinc quaecumque actiones non sunt *iniustae*, eae omnes iudicantur iure naturae esse *non malae*, et hoc sensu appellantur *bonae*, aut, si mauis, *indifferentes*.

Ius

Ius naturae itaque caret praemiis, nec aliud noscit actionis consecrarium nisi demeritum seu poenam naturalem, ceteris actionibus non tribuit nisi immunitatem a poena. Proinde imputatio iuris naturalis, qua tribuitur alicui factum iustum, caret effectu.

## §. 222.

Quum porro omnis lex perfecta producat in altero obligationem perfectam, in altero ius: tuto asseritur, quod omni obligationi perfectae in altero ius respondeat, et vice versa.

## §. 223.

Vnde hoc deriuatur iuris naturalis singulare, quod ambiat omnes actiones tum spontaneas tum liberas. Lex enim: conserua te contra alterum, simpliciter dat ius contra quemcumque, qui turbat. Ergo et ius contra eum, qui turbat actione non libera, vt infans, mente captus, brutum. Quicumque coactionis est patiens; si turbat conseruationem hominis, iure cogitur. Hinc omnes, qui edere actiones spontaneas possunt, legi perfectae, obligationi perfectae subsunt.

Hinc omni iuri respondet quidem obligatio perfecta; sed non respondet omni iuri obligatio moralis.

## §. 224.

Omnis itaque laesio est vel actio libera,  
vel



vel non libera. Illa dicitur *moralis*, seu vno verbo *iniuria*, haec *non moralis*: *moralis* vel *culposa* vel *dolosa* est (§. 129.).

## §. 225.

Quum vero omne damnum ex laesione deriuetur: simul in aprico est, damnum esse vel *morale*, quod et vocatur damnum *iniuria datum*, vel *non morale*, et damnum morale iterum in *culposum* dispelci et *dolosum*.

Laesio non moralis obligationi quidem aut imputationi morali non subest: sed tamen subest obligationi et imputationi non morali (§. 156.) et perfectae.

## §. 226.

Omni obligationi morali respondet in eodem subiecto facultas moralis (§. 177.): Hinc omni obligationi morali perfectae respondet in eodem subiecto ius. Quam propositionem non esse conuertibilem per se patet.

## §. 227.

In iure naturae nullus reatus, culpa, dolus est imputabilis, nisi quatenus continet laesionem.

## §. 228.

Hinc et error atque ignorantia vincibilis, quatenus in hoc foro imputentur, constat.

## §. 229.

## §. 229.

Finis itaque totius iuris naturae in eo est positus, vt quilibet contra laesiones alterius sese sartum seruet atque incolumem. Vltra conseruationem non adspirat. Haec autem conseruatio infinitis a felicitate distat parasangis, quam felicitatem ius omne plane ignorat.

## §. 230.

Datur itaque ius naturae, ad cuius sanctita actiones iuas dirigere omnes homines obligantur (§. 181.).

Ius naturae per rationem hominibus innotescit. Quilibet igitur homo illud per se ipsum cognoscere potest. Itaque obligat ius naturae; licet promulgatum non sit. *Promulgatio* enim inuoluit actum, quo lex, subiecto obligando incognita, ei cognita redditur.

## §. 231.

Ius naturae est immutabile, aeternum, indispensabile (§. 112.).

## §. 232.

In collisione officii perfecti cum conseruatione totali, illud negligere, vt conseruationi totali consulatur, licet (§. 204. et 206.). Hoc casu ius naturae non immutatur. Actio enim, quae ex fauore necessitatis expeditur, non est actio iusta; quin potius manet iniusta

sta et laesio (§. 214.), sed laesio non moralis (§. 224.). Hinc mala ex eiusmodi actione alteri orta manent damna, quae ad reparationem sunt imputabilia (§. 225.).

## §. 233.

Iam pedem ad specialia proferamus. Diximus supra hominem considerari posse vel extra societatem vel in societate. Hinc iuris naturalis species: *ius naturae in specie* seu *ius mere naturale* et *ius sociale*.

## §. 234.

In omni iure inquirendum

1. *quid* sit id, in quod ius est, hoc est doctrina de suo, et

2. *quomodo* hoc ius, si turbatur, prosequi quis possit. Porro in statu mere naturali reperimus, duplicis generis esse suum hominis:

1. aliud, quod absque facto suo ideoque a sola natura tenet;

2. aliud, quod accedente facto suo possidet. Illud dicitur *suum connatum*, hoc *adquisitum*. Vnde ius mere naturale in tres abit partes; quarum

prima tradit suum connatum, et vocatur *ius naturale absolutum*,

altera docet suum adquisitum, et nuncupatur *ius naturale hypotheticum*, ac denique

tertia explicat *modum ius suum mere naturale prosequendi*.

IVRIS

IVRIS NATVRALIS

LIBER I.

IVS NATVRAE IN SPECIE

SEV

IVS MERE NATVRALE.

CAPVT I.

IVS NATVRALE ABSOLVTVM.

§. 235.

**H**ominem benigna mater natura instruit vita, corpore, anima. Corpus variis dotauit membris, animam diuersis facultatibus. Haec omnia constituunt hominis perfectionem, quam vt conseruet, eius est, consequenter haec pertinent ad hominis suum connatum.

§. 236.

Homo praeterea infinitis actionibus eundem a natura adaptatus est, quas vsu membrorum corporis atque exercitio facultatum animae actu edit, quibusque sese continuo perficere innumeris modis valet. Itaque et actiones hominis sunt in complexu perfectionum eius, quas vt conseruet, eius est, et quae ea propter pertinent ad eius suum connatum.

§. 237.

## §. 237.

Non vero ius est homini, agendi contra conseruationem alterius (§. 182.). Ergo usus membrorum corporis et facultatum animae, et in genere actiones hominis eatenus duntaxat sunt suum hominis, quatenus legibus perfectis non repugnant (§. 224.).

## §. 238:

Ex hoc hominis in vitam, corpus, animam et actiones suas iure sequitur obligatio alterius hominis perfecta, ne violet alius vitam, corpus, animam aut alterum turbet in iis actionibus, quae legibus perfectis non repugnant.

## §. 239.

Itaque

1. neminem occidas,
2. membra alterius non mutilas aut violes,
3. in errorem, ex quo altero malum oritur, neminem inducas,
4. in actionibus, quibus non laederis, alterum non turbes.

## §. 240.

Haecce hominis iura, hae hominis obligationes perfectae, et quidquid praeterea iuris aut obligationis in statu mere naturali absoluto homini tribuitur, id omne ei tribuitur

buitur qua tali, consequenter omnibus et singulis hominibus.

## §. 241.

Itaque in statu mere naturali absoluto omnium hominum iura atque obligationes sunt plane eadem.

## §. 242.

Ergo

1. nemini ius in actiones alterius est, et
2. quo iure quis vti velit in me, eodem et mihi in illum vti fas est.

## §. 243.

*Imperium*, quod continet ius dirigendi actiones socii, vti infra patebit, extra societatem ne fingi quidem potest. Quidquid igitur imperium esse constitutum supponit, illud in omni statu mere naturali prorsus exulat.

## §. 244.

Huc refertur *superior*; qui imperio potest, *inferior* seu *subiectus*, qui imperio alterius subest, et *subiectio*, id est status sub imperio alterius.

## §. 245.

Contra, quatenus quis altero nec est superior nec inferior, eatenus eidem dicitur esse

esse *aequalis*, et status eiusmodi hominum nuncupatur *status aequalitatis*.

§. 246.

In statu mere naturali non datur imperium, non subiectio, nec alter altero est aut superior aut inferior (§. 242.). Itaque status mere naturalis est status aequalitatis.

Quum idea *iussi*, *iurisdictionis*, *iudicis*, *sententiae*, *poenae* in sensu speciali contineant ideam superioris: sequitur, ut status naturalis haec omnia ignoret.

§. 247.

Proinde

1. Imperium in alterum non adfectes.
2. Aequalitatem alterius non violes.

§. 248.

Quatenus quis non subest imperio alterius, dicitur *independens ab imperio*, et huius independentiae status vocatur *libertas* (respectu imperii) *naturalis*. Haec ubi in omnibus actionibus obtinet; *plena*: ubi in quibusdam duntaxat; *minus plena* vocatur. Itaque status mere naturalis est status plenae libertatis naturalis.

§. 249.

Ob hanc libertatem naturalem actiones hominis in statu mere naturali sunt indepen-

pendentes a voluntate alterius cuiuscumque,  
nec is in agendo dependet nisi a se ipso.  
Hinc

1. homini eiusmodi permittendum, vt  
in determinandis actionibus suis suum se-  
quatur iudicium,

2, nec vlli hominum rationem reddere  
tenetur, cur hoc faciat vel non faciat: dum-  
modo tibi nihil faciat, ad quod non facien-  
dum tibi perfecte obligatur.

§. 250.

Quamobrem libertatem alterius plenam  
non violes.

§. 251.

Perfectiones et imperfectiones ex actioni-  
bus liberis ortae, dicuntur *morales*. Illae  
ex obseruantia, hae ex violatione officio-  
rum nascuntur. Officia sunt vel externa  
vel interna. Hinc *perfectiones* atque *imper-  
fectiones morales* sunt vel *externae* vel *in-  
ternae*.

§. 252.

Quatenus quis alteri tribuit perfectiones  
vel imperfectiones morales, eatenus alteri  
oritur *existimatio* seu *fama*. Haec itaque  
consistit in iudicio aliorum, quo alicui tri-  
buunt vel perfectiones vel imperfectiones  
morales. Si tribuuntur alicui perfectiones  
morales; eius *existimatio est bona*; si im-  
per-



perfectiones; eius *existimatio* est mala. Bona est *simplex*, si perfectiones morales externae: *intensua*; si perfectiones morales internae tribuuntur. Contra mala *existimatio* est *simplex*; si imperfectiones morales internae: *intensua*; si imperfectiones morales externae tribuuntur.

§. 253.

- *Judicium*, quod signis externis exprimitur, dicitur *symbolicum*. *Judicium* *symbolicum*, quo alteri tribuuntur perfectiones morales internae, dicitur *honor*, et honor verbis declaratus vocatur *laus*.

Signa sunt multiplicis generis.

Hinc 1. vario modo quis honorari potest.

2. Qui honoratur vel laudatur, eius *existimatio* est intensiue bona.

§. 254.

Summus *existimationis* malae intensiuae gradus dicitur *infamia*. Oritur itaque *infamia* ex actionibus, quae insignem violandi officia perfecta conatum commonstrant.

Hinc

1. Dolus non culpa infamat.

2. Facta aliena, qua talia, nemini *infamiam* inurunt.

§. 255.

*Contemptus* seu *ignominia* est *Judicium* *sym-*

symbolicum, quo quis alteri tribuit perfectiones morales minores quam sibi. *Contumitium* seu *contumelia* est contemptus verbis declaratus.

Hinc 1. uti honor, ita et contemptus variis modis declarari potest.

2. Datur contemptus, quo alter infamatur.

§. 256.

In foro iuris mere naturalis ad perfectiones et imperfectiones morales internas non respicitur. Hinc in nostra sphaera existimatio bona intensiva et mala simplex non datur.

§. 257.

Qui honorem et laudes ab altero exigit, ius in actiones alterius sibi arrogat. Itaque honorem et laudes non affectes (§. 242.).

§. 258.

Nemo ita nascitur, ut violasse officia perfecta iudicari possit. Quod si quis itaque de alterius existimatione in statu absoluto iudicare velit: obligatur ei tribuere perfectiones morales externas. Ergo sub hac hypothese existimatio bona simplex est suum connatum.

Hinc quilibet nascitur iustus, nemo infamis.

§. 259.

Igitur in statu naturali absoluto neminem contempnas aut contumeliis adicias, multo minus infamia notes.

E 3

§. 260.

## §. 260.

Aequalitas, identitas iurium, libertas naturalis plena, existimatio bona simplex pertinent ad suum hominis connatum.

## §. 261.

*Ius*, quatenus coniunctum cum obligatione alterius positiva seu affirmativa, dicitur *ius affirmativum*; quatenus cum negativa, *negativum*. In statu mere naturali absoluto non datur ius in actiones alterius (§. 242.): ergo in hoc statu non dantur obligationes positivae, non iura in alterum affirmativa, nec officia commissiva; quin potius omnia iura connata sunt negativa, obligationes negativae, officia omissiva.

Talis est status mere naturalis absolutus, quatenus ponitur ante laesionem: qualis vero fiat ex laesione, in tertio capite disquiretur.



CAPVT II.

IVS NATVRALE HYPOTHETICVM.

TITVLVS I.

DE IVRE HOMINIS IN RES.

§. 262.

**I**d, in quod alicui ius est cum exclusione aliorum, dicitur *suum proprium*. Et suum proprium respectu aliorum, qui exclusi sunt, dicitur *alienum*.

§. 263.

Animã, corpus, actiones hominis iustae sunt suum cuiuslibet proprium (§. 242.).

§. 264.

*Vtile* vocamus id, quod ad perfectionem nostram facere potest. Omne utile est vel in homine, vel extra hominem. Illud est *utile internum*, hoc *externum* seu *utile status externi*.

§. 265.

*Vtile externum* non aliud in sphaera iuris cogitatur, nisi quod in sensus incurrit, atque tum vel est persona, vel minus. Posterius appellatur *res*. Est itaque *res* in sensu iuridico, quidquid extra hominem ipsum ei utile est, nec tamen est persona.

§. 266.

Homini competit ius in actiones suas.

Ergo illi ius est, ea omnia pro lubitu agendi, quibus perfectiorem sese reddere posse iudicat, ita nimirum, ut alterum non laedat (§. 237.).

## §. 267.

Ergo homini ius est sub eadem restrictione in omne id, quod sibi utile esse iudicat.

## §. 268.

Homini a natura non competit ius in personas (§. 242.); competit autem omnino in res quaslibet.

## §. 269.

Quum in statu naturali absoluto hominum omnium iura sint eadem (§. 241.): clarum est, et hoc ius in res quaslibet omnium hominum a natura esse idem.

## §. 270.

*Commune* est id, in quod pluribus idem ius est. Hinc res quaelibet omnibus hominibus a natura communes. Atque illud ius dicitur *communio primaeva*.

## §. 271.

In hac communione primaeva quilibet promiscue rem quamlibet actu in utilitatem suam vertere, seu illa *uti* in sensu generali, et finito usu, quilibet alius eadem quoque uti poterat, ita ut, qui ante fuerat usus, id pro-

prohibendi ius non habeat. Vno verbo: usus rerum cuicumque patebat, ius alios excludendi nemini, qui non utebatur, erat.

§. 272.

Vnde etiam transeundi per loca quaecumque, et commorandi ubiuis terrarum, prout cuilibet visum fuerat, ita ius erat.

§. 273.

Itaque a natura non datur res propria et aliena (§. 262.).

§. 274.

Res, quae nemini est propria, dicitur res nullius. Ergo a natura res omnes sunt nullius.

§. 275.

Communio, in qua res communes sunt nullius, vocatur *negatiua*. Quamobrem communio primaeua erat *negatiua*.

§. 276.

Haec communio primaeua subsistere diu non potuit.

1. Homines non utebantur tantum rebus a natura sola productis, id est *naturalibus*; sed aliis etiam facto suo accedente productis, id est *industrialibus*, aut ad meliorem usum labore suo praeparatis, i. e. *artificialibus*, quas communes esse volebant.

E 5

2.

2. Multiplicato genere humano plurimae quoque res naturales in tanta copia, vt omnium vsui sufficerent, superesse definebant.

3. Sublata vitae simplicitate quum non solum necessitati vitae; sed etiam commoditati et iucunditati prospicere anniterentur: singuli homines pluribus quam antea rebus iisque in vsum continuum indigere coeperunt, quam indigentiam auxit ingruens avaritiae, voluptatis, ambitionis cupiditas insatiabilis.

§. 277.

Inde est, quod originem traxerit exclusio aliorum ab vsu earum rerum, quibus excludens actu non utebatur; sed vsus antea erat, et in posterum vti iterum volebat. Hic est rerum propriarum initium. In quibus introducendis non refragantur leges perfectae. Namque

1. Ius est homini, quaslibet res in futurum vsum colligendi et adseruandi, ita vt nemo hanc actionem impedire, ideoque nec eiusmodi res eripere possit, atque in eo stare teneatur alterius iudicio (§. 249.).

2. Quidquid homo factis suis iustis producit, vel ad meliorem vsum opera sua praeparat, illud ad suum proprium referre ei ius est. Ergo si refert, nemo has res industria-

duſtriales et artificiales ei eripere debet. Vnde ei ius eſt, alios ab uſu rei ſuae exclu-  
dendi, ſeu efficiendi ex re facta ſuo pro-  
ducta vel meliori uſui adcommodata rem  
ſibi propriam.

## §. 278.

Inuecto excludendi iure iam non datur  
ſuum, niſi quod eſt proprium. Et ex hoc  
ſui conceptu arctius determinato, quo in  
poſterum utemur, etiam nouus et ſpecia-  
lior deriuatur eius, quod proprium, alienum  
et commune dici debet, ſignificatus.

## §. 279.

Scilicet iam ſuum conſideratur, quate-  
nus pertinet vel ad aliquem ſolum, vel ad  
plures ſimul. Illud dicitur *proprium* in ſpe-  
cie, hoc vocatur *commune*. *Proprium* ita-  
que eſt, in quod vni ſoli competit ius quos-  
libet alios excludendi. *Commune* vero eſt,  
in quod pluribus ſimul competit ius quos-  
libet alios excludendi. Et haec *commu-  
nio* appellatur *poſitiua*.

Exſtat aliquod reſiduum ex communione  
primaeva in rebus, quae propriae fieri neque-  
unt, quales ſunt

1. res *uſus inexhauſti*, id eſt, quarum uſus  
omnibus ſufficit hominibus et iisdem patet,  
quoties eodem indigent, ut aer, lumen ſolis.
2. res limitum et deſenſionis neſciae, ut  
mare vaſtum.

TIT.





## TITVLVS II.

DE

**MODO ORIGINARIO ADQVI-  
RENDI SEV OCCVPA-  
TIONE.**

§. 280.

*Apprehendit* rem, qui eam suae potentiae v-  
rendi subiciit, seu in eum statum rem  
redigit, quo eius vsum in potestate sua ha-  
bet cum exclusione aliorum.

§. 281.

Apprehensio rei nullius cum animo, eam  
efficiendi suam, seu sibi propriam habendi  
dicitur *occupatio*.

§. 282.

Itaque

1. cuilibet ius est occupandi,
2. occupat actu, quicumque vult occupa-  
re et rem nullius apprehendit,
3. per occupationem res nullius fit res  
occupantis propria.

Quare postquam ius alios excludendi ipso  
exercitio inualuit, ad rem nullius occupan-  
dam alia declaratione quam ipsa apprehensio-  
ne opus non est. Ceterum sufficit me voluis-  
se occupare, et in eo standum est iudicio, oc-  
cupantis (§. 249.).

§. 283.

## §. 283.

*Res corporalis* vocatur *mobilis*, quae salua substantia de loco in locum moueri potest, et speciatim dicitur *se se mouens*, quae se ipsam de loco in locum mouere potest. Res contra *immobilis* est, quae salua substantia de loco in locum moueri nequit.

## §. 284.

Occupatur itaque res mobilis, simul atque quis eam apprehendit, aut redigit in statum, quo illa in posterum vti potest, et animum habet, rem sibi propriam habendi.

## §. 285.

Ferae et pisces occupantur, dum retibus positis aut aliis instrumentis quocumque modo collocatis ita detinentur, vt aufugere nequeant, aut si ex. gr. fera sclopeto prosternatur vel ita vulneretur aut lassetur, vt effugere nequeat.

## §. 286.

Occupatur res immobilis, si ex. gr. fundus limitibus circumscribitur, aut vlui non transitorio adaptatur, cet.

Ceterum modus occupandi a nomine praescribendus, quin potius iudicio occupantis relinquendus.

## §. 287.

*Possidet*, qui aliquid tanquam suum potentiae suae subiectum tenet, seu eius vltimum in potestate sua habet. Hinc

1. Non *possidet* qui aliquid detinet tanquam alienum, aut tanquam aliquid, quod vult esse nullius. 2.

2. Possessor, qui alienum tanquam suum possidet, est vel *possessor bonae fidei*; si ignorat id esse alienum: vel *malae fidei*; si esse alienum nouit.

2. *Absens* quoque possidet, quatenus per alium actus possessorios exercet.

§. 288.

Occupans fit rei occupatae possessor.

§. 289.

Res occupata manet occupantis propria, quamdiu animus eam propriam sibi habendi perdurat; licet possessio interrumpatur. Ergo etiam solo animo retinetur id, quod proprium est.

§. 290.

*Derelinquitur* aliquid, si quis id quod suum est, amplius suum esse non vult. Itaque res derelicta cessat esse propria, et eatenus fit res nullius, atque res occupabilis.

§. 291.

*Iacit* rem, qui se ipsum inuite extra possessionem rei suae constituit. Hinc res iacta animo manet sua.

§. 292.

*Amittit* rem, qui inscius et inuitus ex possessione rei suae constituitur. Hinc res amissa animo manet res sua.

§. 293.

Si res sese mouens ex custodia tua elabatur aut aufugit, tua manet quamdiu discernibilis

nibilis est. Sin minus; tua esse desinit, et fit res occupabilis.

§. 294.

Res quae, cuius sit, ignoratur, iure habetur pro re nullius, donec constet, ad quem res pertineat. Hinc eiusmodi res vsque ad eundem terminum dat locum occupationi, et occupata interim fit occupantis.

§. 295.

Hinc res iactae et amissae cedunt occupanti et inuentori, donec constet de eo, qui iecerit vel amiserit.

Vnde facilis decisio eius, quod iustum est circa res naus leuandae caussa in mare proiectas et circa bona naufragorum.

§. 296.

*Theauri* nomine veniunt res mobiles pretiosae in loco abscondito depositae, quae, cuius sint, ignorantur. Hinc inuentor thesauri eum sibi per occupationem interim reddit proprium.

§. 297.

Itaque si quis rem, quam nullius esse iudicat, apprehendit cum animo eam sibi propriam habendi: et haec res ab altero sibi ipsi propria esse affirmatur: occupans eam restituere ante non obligatur; quam alter hanc rem fuisse suam probauerit. Ceterum an animum retinuerit eam sibi propriam habendi,

bendi, probare non tenetur, sed in eo eius standum est iudicio, nisi contrarium nouus occupans probare possit.

§. 298.

*Adquirat, qui aliquid, quod non fuit suum, efficit suum.*

§. 299.

Vt aliquid actu adquiratur, requiritur

1. factum commissiuum, quo quis acquirere vult, id quod vocatur *modus acquirendi*,

2. vt hoc factum legibus sit conforme seu *iustum*. Iustitia modi acquirendi vocatur *titulus*.

Hinc intelligitur, cur *modus acquirendi* dicatur ratio acquisitionis in facto fundata, *titulus* autem ratio acquisitionis in lege fundata, et cur *modus acquirendi* a ICTis appelletur causa proxima, *titulus* vero causa acquisitionis remota.

§. 300.

Itaque qui habet ius facto aliquo commissiuo acquirendi, et illud factum committit ille actu acquirit.

§. 301.

Ad occupandum a natura cuiuslibet ius est. Hinc qui occupat,

1. habet *titulum acquirendi*,

2.

2. factum perpetratur, quo acquirit. Itaque occupatio est modus acquirendi.

§. 302.

Modus acquirendi rem nullius vocatur *modus acquirendi originarius*. Hinc occupatio est modus acquirendi originarius.



TITVLVS III.

DE

DOMINIO ET ADQVVSITIONE  
EX LEGE.

§. 303.

**V**ariae immo infinitae sunt utilitates, quas homo tum ex rebus tum ex aliis hominibus percipere potest. Hinc innumera sunt iura, quae et in res et in personas acquirere cum aliorum exclusione homines possunt. Vnde colligitur, posse infinitis modis et rem et personam ad suum hominis referri.

§. 304.

Ius tale suum seu proprium exercetur actibus circa res vel personas susceptis.

F

§. 305.

## §. 305.

Ius proprium in actus circa rem vel aliam personam vocatur *res incorporalis* seu *ius in specie*.

1. Ius tale non est conatum; sed adqumtum (§. 273. & 242.).

2. Ius tale partim ad vtile internum refertur, quia consistit in actionibus hominis, partim ad vtile externum, quia circa personas alias vel res versatur. Ergo non est ens corporale, quemadmodum res. Hinc in oppositione ad *res*, quas diximus (§. 265.) non cogitari nisi *corporales*, vocatur *res incorporalis*.

3. Si eiusmodi actio propria adhaeret rei vel personae singulari; *res incorporalis* vocatur *qualitatis*: si speciei cuidam rerum vel personarum; nuncupatur *res incorporalis quantitatis*, vti sunt nummus, mensura, pondus.

4. Hinc et *possideri* ius seu *res incorporalis* dicitur, quatenus illius exercitium in potestate nostra est, et possideri potest vel per se vel per alium. Perdurat quoque et retinetur solo animo, licet possessio amittatur (§. 287.).

## §. 306.

De iuribus in personas infra differendi locus erit. Iurium in res summa est *dominium*, quippe quod omnium, quae de re quadam coniunctim cogitari possunt, iurium, continet complexum.

Res

Res itaque in dominio existens et res propria aut sua sunt vnum idemque. Dominium vero ipsum est res incorporalis.

§. 307.

Domino iura omnia, quae circa rem cogitari possunt, competunt. Nemini vero ius est alterum laedendi. Itaque hi naturales sunt domini limites, vt dominus quolibet circa rem suam actus suscipere possit, quibus nemo alius laeditur.

§. 308.

Domino ius est determinandi, quid de re sua fieri velit nolit, seu pro arbitrio de ea disponendi.

§. 309.

Domino competit ius rem suam possidendi.

§. 310.

Domino ius est quemlibet alium ab vsu, detentione, possessione rei suae excludendi.

§. 311.

Domino ius est omnes, quae possibiles sunt, e re sua utilitates percipiendi.

§. 312.

Res propria est ens existens. In ente existente tum reperitur eius essentia existens, quae vocatur *substantia* rei, tum de-



prehenduntur varia, quae per essentiam existentem possibile sunt atque fieri possunt, quae appellantur *confectaria rei*.

## §. 313.

Domino competit complexus omnium iurium, quae et in substantia et in confectariis rei suae cogitari possunt. Ergo est dominus non substantiae tantum; sed et omnium confectariorum existentium.

## §. 314.

Ad confectaria rei pertinent fructus et accessoria rei. *Fructus rei sunt naturales*, quos natura rei sua sponte producit; *industriales*, qui non nisi interueniente opera hominis seu cura et cultura proueniunt. *Iidem vocantur pendentes*, qui a re, ex qua prouenerunt, nondum sunt separati: *percepti*, qui ab eadem sunt separati et plene collecti: *percipiendi*, quos quis non percepit, sed tamen percipere poterat, modo voluisset. Quodsi ad perceptionem fructuum plures actus requiruntur: perceptio est *inchoata*, quae ad vnum alterumue actum duntaxat processit; *consummata*, quae nullum amplius actum requirit. Percepti fructus nuncupantur *exstantes*, quos possessor rei, ex qua prouenerunt, adhuc habet; *consumti*, quos amplius non habet.

## §. 315.

## §. 315.

Res *accedit* rei, quae tanquam incrementum rei propriae adiungitur. Res, quae adiungitur alteri rei, dicitur *accessorium*, res, cui adiungitur *accessorium*, vocatur *res principalis*.

## §. 316.

Accessoria sunt vel *naturalia*, vel *industrialia*, vel *fortuita*; ad priora pertinent fructus.

## §. 317.

Quidquid est rei meae utilitas, ideoque quidquid ex re mea prouenit, vel facto meo iusto concurrente producitur, illud eo ipso momento, quo nascitur, quo producitur et accedit, est meum (§. 313.). Ergo adquisitio accessorii ipsa lege perficitur. Adquisitio eius, quod rei meae est *accessorium*, dicitur *accessio*. Ergo *accessio* est adquisitio ex lege.

1. *Accessio* si consideratur ut modus adquirendi, requirit factum. Hoc factum quoad accessionem naturalem et fortuitam ipso actu acquisitionis non semper adest: et hoc respectu vocatur *adquisitio ex lege*. Sed adest tamen factum praecedens, quo adquisita res principalis, in quo ratio sita acquisitionis accessoriae. Itaque *accessio* est *modus adquirendi ex consequentia* (§. 49. not.).

2. Accessio non est *occupatio accessoria*, quia accessorium non est res nullius.

§. 318.

Si res aliena rei meae fit accessorium, inquirendum: sit ne accessorium fortuitum, an industriale.

1. *Fortuitum* aut separari et repeti a domino accessorii potest absque actu, quo ius in rem principalem exercetur, aut minus. Priori casu accessorium manet suo domino et iuste separatur; posteriori accessorium domino suo perit, et ex lege accessionis fit meum: quum nemini competat ius in rem alienam.

2. *Industriale* aut factio iusto aut iniusto fit accessorium. Illud cedit domino rei principalis et pristino domino perit. Hoc manet domino priori, siue bona siue mala intercedat facientis fides.

1: Quae ius Romanum addit de specificatione, adplumbatura, intextura, adiunctione, confusione, commixtione, inaedificatione, plantatione, satione, scriptura, pictura cet. id omne redolet statum civilem, in quo ad praescindendas subditorum lites vario modo mox restringuntur, mox dilatantur dominii iura, atque inde accessio etiam aliam prorsus induit naturam.

2. Haec quippe omnia non sunt accessio, non modi acquirendi; sed potius acquisitionis derivatiuae

### TIT. III. DE DOM. ET ADQ. EX LEG. 87.

riuatiuae occasiones. Et ex hac duarum rerum, quae diuersos habent dominos, in vnam coniunctione postea tantum vterque tenet, quantum antea ad eum pertinuerat.

#### §. 319.

Domino ius est rem suam immutandi, meliorandi, deteriorandi, corrumpendi destruendi tum quoad substantiam, tum quoad fructus et accessoria reliqua.

#### §. 320.

Item ius re sua *vtendi*, hoc est salua substantia vtilitates ad necessitatem percipiendi, *fruendi*, id est omnes omnino vtilitates salua substantia ex re percipiendi, et *abutendi* seu percipiendi vtilitates ita ex re sua, vt destruat.

#### §. 321.

Vt et ius rem suam derelinquendi, et eius dominium in alium transferendi, seu eam *alienandi*.

#### §. 322.

Potest dominus transferre et dominium et vsum et vsumfructum, et ius in quemlibet actum vi domini licitum.

#### §. 323.

Hinc

I. Quantum dominus ex iuribus domini sui

sui in alterum transfert: tantum ex suo perdit, atque in tantum iura domini sui imminuit.

2. Sub quibus conditionibus transfert, sub iisdem quod suum fuit, efficitur non suum. Vnde intelligitur, dominium variis modis fieri posse *restrictum et minus plenum*.

§. 324.

Quodsi ius utendi fruendi re cum parte iuris de substantia rei disponendi in alterum transfertur: qui transfert, vocatur *dominus directus* item *propriarius*; ille vero, in quem transfertur, vocatur *dominus utilis*. Exemplum est in feudo, superficie, emphyteusi.

§. 325.

Si vero dominus saltem ius singulare et determinatum circa rem suam transfert in alterum, ita ut sibi reliquum ius indeterminatum omne permaneat; dominus dicitur *servitutem* in re sua constituisse.

§. 326.

Qui duntaxat ius determinatum in re habet, is intuitu omnium aliorum circa rem iurium est non - dominus. Contra quicumque excepto iure quodam determinato quodlibet aliud ius indeterminatum in rem  
pro

pro arbitrio exercet; ille manet eatenus dominus, sed *minus plenus*.

§. 327.

Complexum omnium rerum et iurium circa res vel personas alicui propriorum appellant *bona seu patrimonium* alicuius.

§. 328.

Qui occupat rem, eius fit dominus, ita vt quaecunque de domino adstructa fuerit, ad occupantem possint adplicari.

§. 329.


Dominium eiusdem rei pluribus simul competens vocatur *condominium*. Est itaque condominium communio domini.

§. 330.

Res in condominio constituta vel pro parte separata cuique condominorum est propria, vel minus. Hinc condominium est vel *pro diuiso*; vel *pro indiuiso*. Priori casu condominorum quilibet de parte sua rei solus omnia domini iura exercere potest. Posteriori casu condomini iura domini non nisi simul exercere possunt. Singuli vero exclusis ceteris qui sunt in communiione, exercere nullum ius possunt.

## §. 33r.

Dominus itaque rei in condominio pro indiuiso constitutae non est persona singularis, sed complectitur plures personas, quae quoad iura et obligationes constituunt vnā personam. Eiusmodi persona dicitur *persona moralis*. Ergo dominus eiusmodi rei indiuisae est persona moralis.



TITVLVS IV.

DE

MODO ADQVIRENDI DERI-  
VATIVO

SEV

PACTO.

§. 332.

Introducto rerum dominio nihil fere amplius superstitit, quod esset nullius, atque vsui apprehendentis pateret: omnia domino cuidam subiecta et aliena, quae apprehendere nefas, et a quarum viu quilibet iuste exclusus.

§. 333.

Tum aucta magnopere necessitas, ex aliorum hominum rebus et operis sibi quaerendi vtilitatem, atque necessitas efficiendi ex alieno suum, quae peperit *pactum*, cuius indolem nunc examinabimus.

§. 334.

*Praestat aliquid alteri*, qui efficit, vt suum fiat alterius. *Promittit*, qui declarat, se efficaciter velle aliquid alteri praestare. *Repromittit*, qui sibi promittenti quid promittit.

§. 335.



## §. 335.

*Consentit* qui declarat, se idem serio velle, quod alter vult. *Acceptat* promissum, qui consentit in promissum alterius sibi factum.

## §. 336.

*Consensus reciprocus* seu *mutuus in idem praestandum* est declaratio plurium, se idem serio velle intuitu eius, quod alterutri ab alterutro est praestandum. Promittens itaque et acceptans

1. consentiunt de quodam praestando
2. et quidem reciproce.

## §. 337.

*Consensus verus* de quodam praestando requirit

1. facultatem consentiendi physicam, ideoque usum intellectus et voluntatis;
2. facultatem praestandi physicam, ideoque vt praestandum sit physice possibile.

Si quid horum deficit, nec promittens nec acceptans vere consentit, quin potius eorum consensus est nullus.

## §. 338.

*Consensus iustus* de quodam praestando requirit

1. facultatem consentiendi legibus non re-

repugnantem, ideoque ne quis contra ius ad consentiendum adigatur,

2. facultatem praestandi legibus non prohibitam, ideoque vt praestandum non sit contra leges. Si quid horum deficit, nec promittens nec acceptans iuste consentit, et eorum consensus est iniustus.

§. 339.

Quum a natura nemini competat ius in actiones alterius (§. 242.): sequitur,

1. vt promittere sit officium amoris. Ergo nemo ad promittendum cogi potest.

2. Vt promittens relinquere iudicio alterius teneatur, vtrum acceptare ei placeat promissum suum, an minus. Ergo nemo ad acceptandum cogi potest.

§. 340.

Promissum acceptatum seu consensus reciprocus in idem praestandum dicitur *pactum, pactio, conuentio*. Pactum igitur

1. *Verum* est, quod nititur consensu reciproco vero: sin minus; est *nullum*,

2. *iustum* est, quod nititur consensu reciproco iusto; sin minus, est *iniustum*.

3. requirit factum bilaterale.

§. 341.

*Seruat pactum*, qui id quod ex conuentione promisit, actu praestat: sin minus;  
*vio-*

*violat.* Validum est pactum, ad quod seruandum pacifcentes perfecte obligantur; si non; vocatur *inualidum*.

## §. 342.

Pactum nullum est inualidum. Pactum iniustum ne sancendum quidem, multo minus seruandum, ideoque pariter inualidum.

## §. 343.

Pactum iustum autem omnino esse seruandum hoc potissimum argumento nititur: qualem te ipse declaras, talem te iudicandi mihi ius est. Ergo quod quis sufficienter tamquam verum significat, id contra ipsum pro vero habetur.

## §. 344.

Vterque igitur pacifcens quum declaret, voluntatem efficacem, vt suum promittentis fiat suum acceptantis; voluntas efficax fit efficiens, nisi obstat impedimentum (§. 142.). Iam vero posito pacto vero ponitur possibilitas consentiendi et praestandi physica (§. 340.); posito pacto iusto ponitur possibilitas consentiendi et praestandi moralis (§. eod.). Quamobrem pacto iusto nullum obstat impedimentum. Hinc in eiusmodi pacto suum promittentis actu fit suum

sum acceptantis, ideoque iuste pacifcentes ad pactum seruandum perfecte obligantur.

## §. 345.

Iam vt pacti natura plenius intelligatur, quae pactum vel nullum vel iniustum efficiant, inquiramus. Facile haec ex indole tum consensus tum pacti ipsius apparebunt.

## §. 346.

Infantes, furiosi, mente capti, summe ebrii et generatim qui *usu intellectus* destituntur, pacifici nequeunt (§. 337).

## §. 347.

*Error* alterius pacifcentis tollit consensum in idem. Sed quum alter pacifcens ius adquirat, id pro vero habendi, quod alter declarauit (§. 343.): error non annullat pactum, nisi eum fuisse inuincibilem probauerit errans.

## §. 348.

*Impossibile* nequit praestari. Pactum itaque de re impossibili inicum est nullum. Quodsi de impossibilitate dubitetur, promittens eam tenetur probare.

## §. 349.

Pactum requirit aliquid praestandum ideoque rem singularem. Ergo de *re uniuersali* qua tali pactum est nullum.

In-

Interim verum fit pactum, quatenus praestari potest res singularis, quae sub genere promisso continetur. Hinc quo magis determinatur promissum generale, eo certior est et qualitas et quantitas eius, quod promissum est.

## §. 350.

*Affertio generalis, verba officiosa et honoris non sunt pactum.* Haud enim continent nisi declarationem voluntatis indeterminatam, inseruendi alteri, si qua occasio nata fuerit, quam amplecti mihi libnerit.

## §. 351.

*Locus non continet voluntatem seriam, ideoque pacto repugnat.*

## §. 352.

Qui adhuc deliberant, id est mediante ratione disquirunt, vtrum agendum et quomodo agendum, nondum habent voluntatem determinatam. Hinc *tractatus*, qui sunt deliberationes de ineundo inter se pacto, non sunt pactiones.

## §. 353.

*Pactum continet consensum reciprocum in idem placitum.* Ergo si quid maius vel minus est in acceptatione, quam in promissione, pactum est nullum.

## §. 354.

## §. 354.

*Dolo* alterum inducit, qui motiuis fictis alterum ad agendum determinat. Hinc qui per dolum alterum ad paciscendum inducit, eum in errorem inducit, ex quo malum alteri oritur, ideoque eum laedit (§. 239.). Itaque pactum dolo superstructum est iniustum.

1. Dolus probari debet. Probato dolo standum alterius iudicio, an sese laesum arbitretur, ideoque an pactum rescindere velit: nec respicitur, vtrum dolus causam dederit pacto nec ne, hoc est, vtrum *efficax* fuerit aut *inefficax*.

## §. 355.

Pactum *vi iniusta extortum*, atque sub hac restrictione etiam quod *metu extortum* est, iniustum est.

1. De vi iusta et eatenus de pacto metu extorto contrarium omnino statuendum.

## §. 356.

Nec de *alieno* qua tali, siue sit res corporalis, siue ius aut factum, cum firmitudine pactum initur; quia nemo nisi suum iuste promittit, nec quis iuste acceptat nisi promittentis suum.

## §. 357.

Vbi nulla acceptatio, ibi nullum pactum. *Pollicitatio* est declaratio, se velle alteri, si si-  
 G bi



bi aliquando visum fuerit, aliquid praestare. *Votum* est promissio, qua Deo aliquid destinatur. In pollicitatione nulla voluntas sese obligandi, ergo acceptari nihil potest. In voto autem non adest acceptans homo. Ergo vtrumque est absque effectu.

## §. 358.

Pactum continet consensum reciprocum, consensus declarationem voluntatis, declaratio signum voluntatis, hoc factum idque vel in verbis vel quocumque alio facto a verbis diuerso consistit. Inde dispescitur consensus in expressum et tacitum. Hinc et *pactum* est vel *expressum* vel *tacitum*.

1. Factum eiusmodi nisi exstat, non adest verus consensus sed *fictus*. Qui in specie dicitur *praesumptus*, quatenus tribuitur personae vsu intellectus instructae in re sibi utili. Vterque consensus exulat in statu mere naturali (§. 337.).

## §. 359.

Nunc videamus pacti validi effectus. Ex pacto iusto nascitur acceptanti ius nouum, promittenti obligatio noua. Hinc promittens fit *debitor*, hoc est, qui alteri ad aliquid praestandum perfecte obligatur, acceptans *creditor*, hoc est, qui ius habet in alterum, qua debitorem.

## §. 360.

## §. 360.

Ergo pactum iustum est *modus acquirendi* (§. 299.) et quidem *deriuatiuus*, hoc est quo ex alieno fit nostrum.

## §. 361.

*Reuocat* promissum, qui declarat se nolle seruare promissum. Hinc

1. ante acceptationem omne promissum est reuocabile,

2. post acceptationem promissum fit obligatio perfecta, ergo non est reuocabile: Eatenus itaque recte dicitur pactum conferre ius irreuocabile, et imponere obligationem irreuocabilem.

1. Hinc quod pacto iusto datum est, repeti nequit, nec ei, qui pactus est, poenitere licet.

## §. 362.

*Fides* est voluntas seria pacta seruandi. Hinc iuste paciscentes obligantur perfecte ad fidem datam liberandam, et *perfidia*, quae inuoluit violationem fidei datae, est laesio.

## §. 363.

Omne pactum continet praestationem, ideoque translationem sui in alterum, id est *alienationem*. Omne suum est vel utile internum vel externum (§. 264.). Illud potissimum consistit in operis, hoc in rebus et aliis hominibus. Hinc omnis praestatio,

G 2

aliena-



alienatio, pactum consistit in *faciendo vel dando*.

§. 364.

Quantum promittens transfert, tantum acceptans acquirit,

1. siue quid faciendum seu dandum promiserit,

2. siue rem corporalem seu incorporalem,

3. communionem iuris seu eius proprietatem,

4. dominium rei corporalis, seu condominium, pro diuiso aut indiuiso, seu dominium directum vel vtile seu seruitutem,

5. seu quodcumque aliud suum perpetuum aut temporarium in acceptantem transulerit promittens.

§. 365.

Cum omni acquisitione simul ius possidendi acquiritur. Actus, quo possessio ipsa transfertur, dicitur *traditio*. Hinc

1. promittens ad traditionem acceptanti obligatur.

2. Per traditionem vsus eius, quod adquisimus, in potestatem nostram venit, ius vero nouum haud acquiritur.

3. Ideoque etiam ad transferendum dominium naturaliter non requiritur traditio.

§. 366.

Traditionis species est *immissio* in possessionem rei immobilis, et traditio *brevi manu*

*manu* facta, si transferens rem vel ius manere permittit in potestate accipientis tamquam ipsi proprium, quod iam alia quacumque de causa in potestate ipsius est.

1. Datur traditio per tertium et tertio facta.

2. Traditionem *longa manu*, quae fit, si res tradenda oculis acceptantis subiicitur, ut eam in potestatem suam recipere possit, et *symbolicam*, si loco rei ipsius res alia, quae istam significat, traditur, sunt fictiones iuris positiui. Omnis enim traditio naturaliter non intelligitur perfecta, nisi postquam transferens id quod translatum est, extra potestatem suam constituit, et acceptans illud in potestatem suam recepit.

§. 367.

Quo modo et sub quibus conditionibus, adiectionibus et restitutionibus promittens suum transfert, eodem modo et sub iisdem conditionibus, adiectionibus, restrictionibus acceptans alienum acquirit.

§. 368.

*Conditio in iure* significat omnem euentum, a cuius existentia vel non existentia ius atque obligatio pendet.

§. 369.

*Conditio* est vel *possibilis* vel *impossibilis*, utraque vel *physice* vel *moraliter talis*. Posterior dicitur *turpis*.

G 3

§. 370.

## §. 370.

*Conditio* possibilis est vel *casualis*, quae a fortuna pendet; vel *potestatiua*, quae est in potestate acceptantis; vel *mixta*, quae partim est casualis partim potestatiua.

I. Ad conditionem potestatiuam pertinet *modus* promissioni adiectus seu *promissio modalis*, quae fit in certum finem, vt ab acceptante quid fiat,

## §. 371.

*Conditio* tandem datur *alia suspensiuua*, quae actus perfectionem differt ad vsque existentiam euentus, *alia resolutiua*, quae actus iam perfecti durationem restringit ad illud tempus, quo euentus existit. Ad suspensiuam pertinet promissio *ex die*, ad resolutiuam promissio *in diem*.

## §. 372.

Omni conditioni physice aut moraliter possibili standum. *Conditio* vero physice impossibilis pactum annullat (§. 337.), moraliter impossibilis seu turpis pactum vitiat (§. 338.).

## §. 373.

Dantur plures adiectiones et restrictiones pactorum. Huc refer determinationem *loci*, *vbi*; *temporis*, quando id, quod translatum fuit, est tradendum.

## §. 374.

## §. 374.

*Alterne* promittitur vel acceptatur, si alteruter paciscentium ad eligendum vnum ex pluribus obstringitur, aut vnum ex pluribus eligendi ius habet: *copulate*, si plura coniunctim transferuntur.

## §. 375.

Ponamus duo pacta ceteroquin iusta, alterum prius, alterum posterius, sibi inuicem contradicere. Hoc casu quod posterius promissum fuit, est res aliena. Ergo hoc casu pactum prius derogat posteriori (§. 356.).

I. Ergo alienatio rei per pactum iam ante alteri promissae est inualida.

## §. 376.

Quod ad species et diuisiones pactorum attinet, facile cognoscitur, secundum infinitam eius, quod transfertur, et modi, quo transfertur, diuersitatem, ea dari infinita et innumera.

I. Attigimus iam pacta expressa et tacita (§. 358.), vt et pacta, quae conditionem continent (§. 368.), vnde diuisio pactorum in *conditionata* et *pura*. Addamus reliqua potiora.

## §. 377.

Alia pacta continent simul repromissa, alia minus. Haec dicuntur *benefica*, illa *onerosa*.

G 4

§. 378.

## §. 378.

Ad benefica pacta refertur *donatio*, qua dominium rei, et pactum *commodati*, quo usus rei gratis transfertur.

I. *Precarium* nomen pacti vix meretur.

## §. 379.

Operae etiam gratis in alterum transferuntur variis conventionibus. Illustris species deprehenditur in *pacto mandati benefici*, quo negotium alterius gratis expediendum promittitur. Aliud in *pacto depositi*, quo custodia rei alienae mobilis gratis suscipitur.

## §. 380.

Pacta onerosa longe frequentiora, quam et indoles humana ad accipiendum, quam dandum, sit pronior, atque indigentia mutua increfcens mutua auxilia redderet iudices magis necessaria. Hinc ea est communis omnium pactio- num onerosarum natura, ut quantum promittens transferat, tantum a repromittente recipere velit.

## §. 381.

Itaque comparari inter se, quidquid mutuo transferendum erat, et quantum maius vel minus tribui rebus, iuribus, operis coepit.

§. 382.

## §. 382.

Vnde valor et pretium ortum. *Valor* est quantitas, quae enti vtili qua tali tribuitur.

## §. 383.

Quantum utilitatis vel determinari potest vel minus. Determinare valorem dicitur *mensurare*, seu *aestimare* vtile. Hinc omne vtile vel est *aestimabile* vel *inaestimabile*.

## §. 384.

Si determinanda est quantitas, quantum aliud adsumendum pro vnitatem, et applicandum ad hoc quantum. Illud quantum, quod ita adsumitur et applicatur ad determinandum valorem, dicitur *mensura valoris*, et mensura valoris, seu valor per aliud quantum determinatus vocatur *pretium*.

r. Pretium igitur rei continet *rationem* seu *relationem* rei ad rem aliam. Itaque pretium non est in re ipsa; sed extra rem, et a iudicio hominum dependet.

## §. 385.

Cuilibet res, iura, operas suas aestimabiles vel inaeestimabiles iudicandi, iis pretium maius vel minus pro lubitu tribuendi, illudque omni momento immutandi, augendi, minuendi, pro ut sibi videtur, ita fas est. Standum quippe cuiusvis iudicio in determinando pretio eius, quod suum est (§. 249.).

G 5

§. 386.

## §. 386.

Quatenus valor singuli entis utilis per quodlibet aliud utile determinari potest: eatenus singulo utili competit *pretium vulgare*.

## §. 387.

Pretium vulgare commutandis auxiliis sufficere non potuit. Quodsi enim, ut solet, contingeret, ut quum tu haberes, quod ego deliderarem, inuicem ego non haberem, quod tu accipere velles: qua ratione pretium vulgare indigentiae mutuae subvenire potuit? Hinc excogitata res, ex cuius valore valor omnium entium utilium commode determinari posset. Quatenus rei eiusmodi valor tribuitur, eatenus ei competit mensura valoris omnium utilium, quae dicitur *pretium eminens*, et res talis, cui tribuitur pretium eminens, vocatur *nummus* seu *pecunia*.

i. Quae sint nummi requisita, ad doctrinam politices remittenda.

## §. 388.

Pactum, quo suum paciscentium mutuo transfertur, vocatur *contractus*, qui coincidit cum pacto oneroso (§.377.).

## §. 389.

De contractibus haec in genere notanda. Primo ex intentione contrahentium intelligitur,

ligitur, vt, qui prior praestat, quod promissit, sub ea conditione suum dedisse censeatur, vt alter suum praestet vicissim.

## §. 390.

Porro elucet, contractus validitatem omnem esse eandem cum validitate pacti.

## §. 391.

Deinde per se patet, hunc omnium contrahentium esse finem ordinarium, vt sit aequale, quod mutuo transfertur. Sed haec aequalitas a iudicio cuiuslibet pendet. Ergo aequale est, quod vterque aequale iudicat.

## §. 392.

Qui igitur contrahunt, declarant, se aequale iudicare, quod mutuo transferunt. Ergo inde cuiuslibet contrahenti ius est, id quod transtulit, aequale iudicandi ei, quod accepit (§. 343.). Quodsi error alterius adsit, habeat sibi. Hinc error nisi inuincibilis non annullat contractum (§. 347.) dolus vero vitiat (§. 354.).

1. *Laesio* itaque *ultra dimidium* ignoratur iure naturali.

## §. 393.

Contractus vel intercedente pecunia sancitur, vel minus. Posterior in genere vocatur *permutatio*.

## §. 394



## §. 394.

*Permutatio* fit dando vel faciendo (§.363.)  
Dantur res vel iura in res, fiunt seu prae-  
stantur operae. Hinc permutatio continet  
contractum

1. Do vt des,
2. Do vt facias,
3. Facio vt facias.

## §. 395.

Omnis permutationis vna eademque est  
natura. Standum eo, de quo conuenerunt  
permutantes.

- I. In censum itaque non venit distinctio in  
permutationem *simplicem*, qua neutra res ae-  
stimator, certumue ei statuitur pretium, et  
*aestimatoriam*, in qua vtriusque pretii initur  
ratio.

## §. 396.

Inter contractus, qui interueniente pe-  
cunia sanciantur, eminent *emptio venditio*,  
qua res vel iura in res pro pretio eminenti  
transferuntur, et *locatio conductio*, qua v-  
sus rei, exercitium iuris in rem, operaeue  
ad certum tempus pro pretio eminenti con-  
ceduntur. Inde locatio conductio in *re-*  
*rum* atque *operarum* locationem conductio-  
nem dispescitur.

- I. Ceteris contractibus siue interueniente  
nummo siue non interueniente sanciantur, non  
im-

immoramur. Qui negotium, de quo contrahitur, intelligit, contractus condiciones perspicit, et principia generalia applicat, errare non facile poterit. Subiiciamus tantummodo breuissima quaedam de contractibus aleam continentibus et quasi-contractibus.

## §. 397.

*Contractus aleam continens* dicitur, qui super incerto euentu conuenitur, vt eodem vtrinque stetur. Hinc

1. contractus eiusmodi et in dando et in faciendo consistere,
2. et beneficis et onerosus esse potest.

## §. 398.

De incerto qua tali non datur pactio: quia omne pactum supponit rem singularem (§.349.) ideoque certam. Sed quatenus id, quod nunc incertum est, fieri postea certum potest, eatenus de incerto vera est et, ceteris iisdem, iusta conuentio.

1. Varii sunt huius generis contractus: *fors*, *lottaria*, *olla fortunae*, *sponsio*, *contractus lusorius*, *Affecuratio*, *emptio spei* cet.

## §. 399.

In iuribus positiuis plures dantur *quasi-contractus*, qui sunt conuentiones, in quibus alterutrius paciscentis consensus tantummodo praesumitur. **Quasi contractus iure**

iure naturali non sunt vera pacta, ideoque obligatione perfecta destituuntur. (§. 358.).

## §. 400.

Fieri tamen ex quasi-contractu vera pactio potest, ubi consensus praelumtus efficitur verus, quod *ratihabitione* obtinetur, quae consistit in consensu ex postfacto accedente. Itaque quasi-contractus omnem validitatem trahit ex *ratihabitione* siue *expressa* siue *tacita*.

1. Quapropter negotiorum gestio exulat in nostra sphaera.

2. Ad quasi-contractus vulgo etiam referunt communionem incidentem, solutionem indebiti, atque id quod sine causa vel quasi sine causa acceptum. Sed non opus est, fictione in auxilium vocata decidere, quae ex solo: *sumi cuique* vel ex ipsa consensus absentia sponte deriuantur.

## §. 401.

Ad cautiones progredimur tamquam pactiorum accessoria. Omne id dicitur *cautio*, quod in maiorem pacti securitatem ei adiungitur. Cautiois itaque haec est indoles, ut tamquam accessorium per se ipsam minime subsistat, sed sequatur naturam pacti, cui iungitur, tamquam rei principalis, ita

ita vt sit valida, si iungatur pacto valido; vel inualida, si pacto iungatur inualido.

## §. 402.

Accedere vero in securitatem pacti potest vel pactum aliud vel iuramentum.

## §. 403.

Pactum, quod in securitatem alterius pacti lancitur, vocatur *cautio pactitia* seu *cautio in specie*. Hoc pactum a pacto, cui adiicitur, est diuersum. Itaque fieri nequit, quin acceptans pacti principalis, seu creditor ex cautione nouum ius nascatur.

## §. 404.

Ius illud nouum per cautionem quaesitum vel in personam vel in rem constituitur.

## §. 405.

Persona cauens est vel ipse debitor vel quilibet tertius. Ad cautiones prioris generis pertinet conditio poenae, vnde *pactum poenale* aliaque; ad posteriorem praecipuis *fideiussio*, quae est pactum, quo quis ei, cui alius debet, se gratis obligat, quod ipse praestare velit, nisi alter debitum praestet.

## §. 406.

Ius in rem, qua cauetur, vel datur sine rei possessione, vnde nascitur *hypotheca*; vel cum possessione, vnde *pignus*, cuius species

cies est *pactum antichreticum*, *pactum sub lege commissoria*, cet.

§. 407.

Solent etiam *iureiurando* armari pacta. Iuramenta inuoluunt contestationem et supponunt Deum atque verba.

§. 408.

Conuenientia verborum cum cogitationibus nostris dicitur *veritas moralis*, sermo moraliter verus *veriloquium*, et is, cuius sermo est moraliter verus, *verax*. Contra disconuenientia verborum cum cogitationibus nostris vocatur *falsitas moralis*, et sermo moraliter fallus *falsiloquium*.

§. 409.

Ad veriloquium per se perfecte non obligamur, nec falsiloquium per se iniustum est (§. 242.). Sed quatenus per falsiloquium nostrum alter læditur, eatenus falsiloquium est iniustum, et ad veriloquium perfecte obligamur. Hinc *mendacium*, quod denotat falsiloquium, quo alter læditur, iure naturali prohibetur.

§. 410.

Qui veracitatem vel fidem suam (§. 362.) verbis specialibus adfirmat, ille *contestatur*. In specie contestatio vocatur *assertoria*, qua veracitas; *promissoria*, qua fides seu fidelitas affirmatur.

§. 411.

## §. 411.

Quodsi contestationi additur prouocatio ad vindictam diuinam sub conditione falso loquii, enascitur *iuramentum*. Quod pari modo vel est *assertorium*, quo verum se dicere, vel *promissorium*, quo promisso se stare velle quis contestatur.

## §. 412.

*Iuramentum promissorium*

1. per se non efficit ex suo alienum, ideoque per se non obligat; sed, dum accedit pacto,
2. pactum iustum corroborat,
3. pactum contra nullum non efficit verum, nec iniustum iustum.

## §. 413.

Porro elucet,

1. in iuramento nihil deo promitti,
2. iuramentum per se nihil continere iuri naturali contrarium. Ergo iurare licet.
3. iuste sumi et ab idololatra iuramentum: quantumuis hoc casu in imaginariae diuinitatis prouocatione consistat.

## §. 414.

Qui iuramentum violat, dicitur *periu-  
rus*. Hinc

1. Non omnis violatio iuramenti est periu-  
rium,
2. Omnis periu-  
rus est mendax et blas-  
phemus.

H

3. Qui

3. Qui periurus est in iureiurando promissorio, simul est perfidus.

§. 415.

Sufficiant haec de pactionibus: Pactum esse modum acquirendi deriuatum eui-  
cimus. An alii supersint in statu mere naturali acquirendi deriuatiue modi, certant doctores.

§. 416.

Quaeritur, an alienum adquiri possit ex derelictione praesumpta? siue, quod idem est, an praescriptio sit iuris naturalis? *Praescriptio* enim seu *usucapio* vocatur modus acquirendi alienum ex derelictione praesumpta.

§. 417.

Possideo aliquid ex multo tempore; alter id suum esse venditat: ergo hic probare tenetur, id esse suum. Probat fuisse suum: Tum possessor crepat derelictionem; haec ei probanda. Nequit expressam; instat: tacite rem esse derelictam; probandum hoc ei ex facto. Nihil probat: tum ad *derelictionem praesumptam* tamquam ad aram salutis confugit, atque hoc argumento utitur: qui scit rem suam ab alio possideri, nec multo tempore contradicit, quum nullum adsit impedimentum, is eam dereliquisse iudicandus est, et ulterius: nam qui non facit, quod facere poterat et debebat, is  
non

non facere velle, ergo consentire iudicatur seu praesumitur.

## §. 418.

Et verum quidem est, possessori ius esse talem iudicandi alterum, qualem se ipsum declaravit (§. 343.). Ergo iuste rem alterius tamquam suam possidet, quatenus alter non contradicit, quum nullum adsit impedimentum. Sed hac non contradictione, quae continet declarationem per factum omissiuum, minime ad derelictionem argumentum duci potest. Nam et precarium sub hac non contradictione continetur, seu concessio ad vsum vel vsumfructum, quam diu concedenti libuerit.

## §. 419.

Itaque derelictio praesumpta non est modus acquirendi, ideoque vsucapio iure naturali ignoratur.

1. Si praescriptionem definiueris per modum acquirendi ex diuturna possessione, iusto titulo et bone fide stipata, faciliori adhuc negotio confunditur praescriptio. Nam possessio inuoluit factum, non ius; diurnitas temporis ex principiis iuris vniuersalis definiari nequit; bonam fidem et iustum titulum vt probet praescribens, adigi nequit, quum quilibet iustus sit iudicandus ob existimationem bonam simplicem (§. 258.) donec probetur



contrarium. Sed nec bona fides et iustus titulus operari quid possunt, nisi acquisitionem ad interim, donec appareat verus dominus (§. 294.).

§. 420.

Restat, ut intueamur alium acquirendi modum. Quaeritur, qua ratione adquirantur bona defuncti?

§. 421.

Bona defuncti dicuntur *hereditas*; modus hereditatem acquirendi vocatur *successio*, et qui acquirit hereditatem, nuncupatur *heres*.

§. 422.

Defunctus aut disposuit de hereditate sua, aut minus. Si disposuit, aut per modum pacti aut absque pacto heredem constituit.

§. 423.

Si nihil disposuit, bona defuncti fiunt res nullius, et cedunt occupanti. Hoc itaque casu successio est species occupationis.

I. Successio, quam in defectum dispositionis defuncti lex civilis determinat, et quae *ab intestato* vocatur, in statu mere naturali locum habere nequit. Nam ubi societas exultat, nec liberi, nec parentes, coniuges, fiscus cogitari possunt. Aliorum vero ius in here-

hereditatem defuncti præcipuum quo argumento demonstrari poterit? Contradicit id potius identitati iurium omnibus hominibus communi (§. 241.).

## §. 424.

Si pacto disposuit; dicitur pactum eiusmodi, quo quis in euentum mortis bona sua transfert in alterum, *pactum successorium*: si absque pacto disposuit; oritur nuda voluntatis declaratio, quisnam secuta morte nostra sit heres noster, quae vocatur *testamentum*.

## §. 425.

Quum quilibet et in praesens et in futurum de suo disponere possit: pacta etiam successoria valere, in aprico est. Heres itaque ex pacto successorio bona defuncti acquirit, ideoque et in iura defuncti et in obligationes cum his iuribus connexas succedit.

## §. 426.

De testamentis multa disputantur. Concedimus non esse iniustum disponere testamento ita, ut voluntas disponentis sit ambulatoria: largimur, iuste agere heredem ex testamento, dum bona testatoris defuncti apprehendit cum animo, ea sibi propria habendi: damus, eum fieri hoc modo hereditatis dominum.

H 3

§ 427.

## §. 427.


Sed de eo respondendum: an haec defuncti dispositio testamentaria obliget reliquos homines, vt abstineant a defuncti bonis, ita vt heredi ex testamento per mortem defuncti nascatur in hereditatem ius praeceptum.

## §. 428.

Dubium iam diu obmouetur: ante mortem testatoris nullum heredi ex testamento ius acquirendi est quaesitum: existente vero testatoris morte huic nullum ius transferendi hereditatem superstat. Ceterum quaestio haec theoretica magis est quam practica.

## §. 429.

Ex dictis de praescriptione, de successione ab intestato et a testato elucet, hactenus nos ignorare alium modum acquirendi deriuatum, quam pactum.



## TITVLVS V.

DE

## MODO IVS ATQVE OBLIGATIONEM TOLLENDI.

§. 430.

Perpeximus, qua ratione oriatur suum tum connatum tum aduifitum. Omnia suo adhaeret ius: omni iuri refpondet obligatio in altero. Quapropter suo connato iunctum neceffario reperitur et ius connatum et obligatio connata; suo autem aduifito tum ius aduifitum, quod etiam dicitur *quaefitum*, tum obligatio aduifita, quae et appellatur *contracta*.

§. 431.

Itaque iura connata et obligationes connatae cum ipfa hominis exiftentia oriuntur: hoc eft, pofito homine in ftatu mere naturali ponuntur eius iura connata et obligationes connatae.

§. 432.

E contrario cum iura quaefita tum etiam obligationes contractae praeponunt factum. Illud uero hoc loco non aliud quam *iustum* fupponimus: quandoquidem, quae iura et obligationes

H 4

liga-

ligationes nascantur ex laesione, infra exponemus.

§. 433.

Id, in quod *ius* acquiritur, vel res nullius, vel alienum est. Factum, quo in rem nullius acquiritur ius, vocamus occupationem: quo in alienum, appellamus pactum.

§. 434.

Similiter obligatio contrahitur facto, Hoc factum, quatenus ponitur esse iustum, non consistere posse nisi in pacto, quo vel ad dandum vel ad faciendum aliquid, vno verbo: ad praestandum aliquid alteri nos obstringimus, demonstratum est.

§. 435.

His de iurium atque obligationum *constitutione* praestructis, videndum nunc quomodo tum iura tum obligationes tolli possint.

§. 436.

Vniuersalis omnium omnino iurium atque obligationum tollendarum modus est *mors*. Mors adimit omnia iura, liberat ab omni obligatione.

§. 437.

Non vero ita argumentari licet: Quia cum vita cessant omnia defuncti iura et obligationes, ergo et cessant alterius viuentis obligationes, quae iuribus defuncti;  
aut

aut iura, quae obligationibus defuncti respondent. Dantur enim

1. iura quaesita, quae transmissibilia sunt ad heredem: haec si per pactum successorium transmittuntur: heres surrogatur in locum defuncti, et eius iura acquirit (§. 425.).

2. Dantur obligationes contractae circa rem. Quicumque heres defuncti in eiusmodi rem succedit, succedit simul in obligationes circa rem (§. eod.).

I. Iura et obligationes, quae transire in alium nequeunt, vocantur *personalissimae*, quae transire possunt, *transmissibiles*. Itaque personalissimae simul extinguuntur, transmissibiles minus: quippe quae tantum quoad defuncti personam cessant.

§. 438.

In specie *iura connata* tolluntur, dum obligatio iis opposita contrahitur, ita ut, quatenus obligatio contrahitur, eatenus ius connatum extinguatur.

§. 439.

*Obligationes autem connatae* tolluntur, dum iis opposita iura in alterum, ut vel det vel faciat, adquiruntur: ita ut, quatenus ius in alterum adquiritur, eatenus obligatio connata tollatur.

§. 440.

Omnem obligationem, quae facto iusto contrahitur, pactum inuoluere diximus

H §

(§. 434.):

(§. 434.): Ergo modus tollendi iura connata est pactum

§. 441.

Iura adquiruntur in res nullius occupatione, in alienum pacto (§. 433.). Ergo modus tollendi obligationes connatas vel occupatio est vel pactum. Vtrumque explicatum dedimus. Igitur non est, ut modis tollendi iura connata et obligationes connatas ulterius immoremur. Transeamus potius ad modos tollendi iura quaesita atque obligationes contractas.

§. 442.

De iuribus quaesitis et obligationibus contractis haec generalis est propositio: omne ius quaesitum in rem singularem et omnis obligatio contracta ad praestandam rem singularem extinguitur *interitu rei casuali*.

1. Hinc casum sentit dominus, quod generalius ita exprimitur: pereunte re perit omne ius in rem, siue id ius sit dominium, siue seruitus, siue quodcumque aliud ius.

2. Non vero ius quaesitum in genus rerum, nec obligatio contracta ad praestandam rem in genere, extinguitur interitu rei alicuius, sub hoc genere contentae. Hinc in emptione venditione, re nondum tradita casum emtor sentit: sed periculum pretii non vicissim venditor sustinet.

§. 443.

## §. 443.

Ceterum in specie ius quaesitum vel est in rem, vel in personam.

Ius in rem tollitur vel *casu* vel *facto*. Casum, qui aut in morte aut in interitu rei casuali consistit, iam perspeximus. Superest factum, quo tollitur ius in rem quaesitum. Factum illud vel continet pactum vel minus.

Facto, quod pactum non continet, ius in rem tollitur

1. abusu et destructione rei (§. 320.),
2. derelictione rei (§. 290.):

Facto, quod pactum continet, alienatione (§. 321.).

## §. 444.

Ius quaesitum in personam tollitur, dum obligatio alterius ad faciendum vel dandum tollitur. Obligatio contracta tollitur, simul atque pactum, quo contracta est, expirat. Itaque inuestigando modos, quibus pactum tollitur, simul de modis, obligationes contractas et iura in personam quaesita tollendi, constabit.

## §. 445.

Pactum vel casu vel facto expirat. Casu, si

1. deficit alter paciscens,
2. si interit res danda,

3. si



3. si initum sub conditione resolutiva vel suspensiva, illa existente, hac non existente seu deficiente.

1. Hinc quod in diem promissum, veniente die seu lapsu temporis, et quod sub conditione existente promissum, defectu conditionis deberi cessat.

2. Ad conditiones resolutivas pertinet etiam mutatio status, si contemplatione status certi ad aliquid praestandum obligati sumus. Continet enim pactum eiusmodi conditionem resolutivam vel expressam vel saltem tacitam.

§. 446.

Facto pactum tollitur vel *plene*, dum omnis obligatio cessat, vel *minus plene*, dum obligationem sublatam excipit alia.

§. 447.

Plene tollitur vel solutione vel pactis contrariis.

§. 448.

*Solutio* est actualis debiti praestatio. *Solvit debitor*, simul atque praestare ita paratus est, ut in creditoris potestate sit, praestandum apprehendere.

1. Hinc *oblata debiti*, *obsignatio* et *depositio* vice solutionis funguntur, et casum in rebus, quae in genere vel quanto promissae fuerunt, oblati, obsignati, depositi sentit creditor.

§. 449.

## §. 449.

Ad pacta contraria refer *mutuum dissen-*  
*sum*, qui inuoluit consensum reciprocum  
pacto pristino e diametro oppositum.

## §. 450.

Porro huc pertinet *remissio iuris seu debiti*,  
quae et dicitur *condonatio*, atque est actus  
quo creditor declarat, se nolle, vt debitor  
debitum praestet. Quatenus remissio con-  
tinet pactum, eatenus tollit debitum seu  
obligationem.

1. Huius species est *acceptilatio*, seu actus,  
quo creditor verbis declarat, se debitum ferre  
acceptum, perinde ac si reuera solutum fuis-  
set, et *pactum de non petendo*, quo inter de-  
bitorem et creditorem ita conuenitur, ne debi-  
tum sit soluendum. Eiusmodi *pacta* dicuntur  
*liberatoria*.

## §, 451.

Vt et *compensatio*, quae continet actum, quo  
debitor debitum soluturus in solutum im-  
putat creditori, quod ipse debet. Si debitor  
et creditor conueniunt de inuicem com-  
pensando, quod inuicem debent, tollitur ob-  
ligatio contracta.

## §. 452.

Denique *datio in solutum*, quae est actus,  
quo alia res loco debiti soluitur. Si credi-  
tor et debitor conueniunt de datione in  
solu-

solutum, per eam obligatio contracta tollitur.

§. 453.

Minus plene pactum tollitur, dum obligatio contracta mutatur: quod fit vel mutato eo quod praestandum est, vel mutatis paciscentibus.

§. 454.

Prior species *novatio* dicitur, quae est mutatio obligationis prioris in aliam, quoad causam vel modum debendi, eodem creditore ac debitore manente. Haec ut tollat priorem obligationem, requirit mutuum consensum seu pactum.

§. 455.

Posterior species oritur, dum vel creditor vel debitor mutatur.

§. 456.

Debitor mutatur in *delegatione*, quae est pactum, quo debitor vice sua alium debitorem creditori substituit.

Prior debitor vocatur *delegans*, posterior *delegatus* seu *expromittens*, et eius actio dicitur *expromissio*; creditor vero *delegatarius*. Ut *delegantis* obligatio tollatur, requiritur consensus delegantis, delegati et delegarii.

§. 457.

Creditor mutatur in *cessione*, quae est actus, quo quis ius suum transferat in alium. Cessio inuoluit pactum inter *cedentem* et *cessionarium*, non vero requirit per se consensus debitoris.

CA.

CAPVT. III.

DE

MODO IVS SVVM PERSEQVENDI  
IN  
STATV MERE NATVRALI.

§. 458.

**E**xplicuimus haecenus, quae in statu mere naturali ad cognoscenda varia sui tum connati tum adquisiti genera et ad iura cum iis connexa pertinent. His omnibus nunc iungamus laesionis ideam, et, quae ex suo laeso nouae nascantur iuris ac obligationis determinationes, perquiramus. Nimirum haecenus statum mere naturalem *ante laesionem* considerauimus, nunc eundem, prouti in laesione est, ponderabimus.

§. 459.

*Laesionem* supra diximus quamcumque actionem contra leges perfectas. Quum itaque laesione violetur suum alterius; fieri nequit, quin ex omni laesione oriatur laeso malum, quale malum *damni* nomine insignitur.

§. 460.

In omne suum datur facultas moralis alterum cogendi, Haec facultas, antequam  
ponas

ponas laesionem, non est nisi *euentualis*,  
posita vero laesione fit *actualis* (§. 183.).

§. 461.

Qui itaque laeditur, iuste *exercet coactionem* contra laedentem.

§. 462.

Finis huius iuris est, vt ne turbemur et vt suum, quod turbatum est, conseruemus, ideoque, vt laesio et damnum cesset, atque laedens turbare nostrum desistat.

§. 463.

Ex hoc iure ad finem intelligitur ius ad omnia media coactiua, quibus efficitur, vt laedens turbare desistat.

§. 464.

Vltra vero hunc finem, facultas cogendi non extenditur. Itaque ex limite huius iuris intelligitur simul limes coactionis iustae.

§. 465.

Dum cogo, determino alterum, vt inuite agat (§. 69.), ideoque ei mala infero (§. 38.). Actus externi, quibus mala alicui inferuntur, et occulti et manifesti esse possunt: vtrisque varia mala quoad suum tum connatum tum aduersum inferri possunt:

si

si mala manifesta ita alteri inferuntur, vt eius vita in discrimen deducatur; eiusmodi actus externi vocantur *violentia* seu *vis* in sensu specialissimo. Est itaque *violentia* coactio manifesta cum periculo vitae alterius coniuncta.

1. *Periculum* est status malis metuendis obnoxius, cui opponitur status a malis metuendis vacuus, qui dicitur *securitas*.

§. 466.

Laedens iuste cogitur, donec laedere desistat. Vtrum occulte, an manifeste ei nocere satius ducat laesus, huius iudicio relinquendum est (§.249.). Si laedens interea turbare non desistit; in infinitum ius laesi porrigitur in omne suum laedentis, adeo vt etiam cum internecone laedentis suum conseruare per ipsam de sese conseruando legem laeso fas fit.

1. Ius igitur laesi et in res et in iura et in personam laedentis extenditur.

§. 467.

Quapropter quum facultas nocendi laeso concedi debeat: ius ei est, coactionem et occultam et manifestam etiam cum periculo vitae laedentis coniunctam ei inferendi, ideoque ius, et dolum et *violentiam* contra laedentem *adhibendi*.

I

§. 468.

## §. 468.

Quodsi alter violentiam adhibet: alter vero vim vi repellere molitur; oritur status plurium, qui sibi inuicem mala violenter inferre conantur, qui status dicitur *bellum*; homines vero, qui bellum inuicem gerunt, *hostes* appellantur. Bello opponitur *pax*, quae complectitur statum a bello vacuum.

1. Si *bellum* vocatur status per vim certantium, idem nobiscum intelligitur.

## §. 469.

Competit itaque laeso ius belli in laedentem.

1. Ius belli quatenus ut ius euentuale concipitur, a natura cuiusque competit; quatenus ut ius actuale, supponit laesionem. Hinc lex est iuris mere naturalis: *Nemini bellum infer, antequam te laedat.*

2. Vnde et deriuatur lex: *Pacem cole, quoad haberi potest.*

3. Ius belli actuale supponit laesionem, laesio factum iniustum. Nemo autem nascitur iniustus (§. 258.). Itaque tantum abest, ut a natura detur bellum, id est ius belli, omnium contra omnes, ut potius a natura pax omnium cum omnibus reperiatur.

4. Quum laeso in laedentem omnia liceant, donec turbare desistat (§. 463.): intelligitur, qua-

quatenus verum sit: *hosti in hostem omnia licent.*

§. 470.

Bellum per se et *iustum* et *iniustum* esse potest. Laesio passiva efficit bellum iustum; remoue laesionem, bellum existet iniustum. Hinc sola et vnica caussa belli iustifica est laesio.

I. Quod in bello iusto hosti aufertur, illud iuste acquiritur. Ergo *bellum iustum est modus acquirendi alienum.* Contra bellum iniustum est laesio continuata.

§. 471.

Competit ius belli contra quamcumque laesionem. Siue itaque laesio sit moralis siue non moralis, dolosa aut culposa, committendo fiat aut omittendo, mediate vel immediate, solitarie aut cum sociis, positivae aut priuativae, cum lucro laedentis vel sine eius lucro: contra omnem et singulam datur ius belli.

I. Nec discrimen quoad effectum iuris est statuendum, an *laesio sit leuior*, vtrum *gravior*, vt inde et remedium leuius aut grauius sit amplectendum.

§. 472.

Non vero est laesio, quae fit volenti. Quodsi enim quis iuste consentit, vt suum ab altero turbetur, oritur pactum iustum,



et qui ex pacto iusto agit, non agit contra legem perfectam.

I. Hinc volenti non fit iniuria.

§. 473.

*Laesio* intuitu temporis triplex concipi potest, *praeterita*, quae iam illata est, *praesens*, quae actu inferitur, *imminens*, quae certo vel probabiliter est metuenda. *Probabilitas* vero laesionis colligitur ex factis alterius, quibus conatum efficacem nos laedendi commonstrat.

§. 474.

*Laesio* est causa damni. Hinc ex speciebus laesionis determinantur damni species. Aliud damnum est *illatum*, aliud *praesens*, aliud *imminens*.

§. 475.

Datur ius belli non modo contra laesionem illatam et praesentem; sed etiam contra imminentem. Facultas enim cogendi datur, ut conseruemur, ut ne turbemur. Ergo non tantum datur, ut conseruationem turbatam recuperemus; verum etiam, ne patiamur, ut quis incipiat conseruationem turbare. Contradictio in adiecto est: ius sese conseruandi et obligatio perfecta exspectandi, donec alter actu damnum inferat.

§. 476.

## §. 476.

Hoc principium sufficit, si laesio certo imminet. Quid vero, si tantum probabiliter? Probabilitas ex factis alterius colligitur. Si talia facta alter edit; declarat se velle laedere, ideoque iuste habetur pro laedente (§. 343.).

## §. 477.

Ex laesione illata deducitur ius exigendi reparationem damni dati (§. 218.). Reparatur damnum vel in ipso suo turbato in specie, vel per aequipollens. Prior reparatio vocatur *restitutio*, posterior *satisfactio*.

## §. 478.

Ius ex laesione illata tendit primario ad obtinendam restitutionem; in subsidium vero, hoc est, si factum infectum fieri et damnum restitui nequit, ad satisfactionem. Atque hac ratione laeso praestatur *indemnitas*.

## §. 479.

Quantum est damnum, tantum reparari debet, seu reparatio damni dati ipsi damno proportionata esse debet. In reparatione, quae per restitutionem fieri potest, res est expediti iuris. In ea vero, quae per restitutionem fieri nequit, iura multum favent laeso. Quantitas enim satisfactionis seu aestimatio damni ex iudicio laesi, non lae-

dentis nec tertii iuste determinatur (§. 385.).

§. 480.

Ex laesione praesenti damnum oritur praesens. Hanc repellere licet, ne continetur laesio, et damnum maius exoriatur.

§. 481.

Laesionem imminentem bello auertere licet, ne nostrum turbetur. Quatenus laesio alicui imminet, eatenus est in statu malis metuendis obnoxio seu in *periculo* (§. 465.). Periculo opponitur *status securitatis*. Ex iure contra laesionem imminentem itaque deducitur ius periculum propulsandi, et ius statum securitatis sibi adserendi.

§. 482.

Qui contra laesionem praesentem vel imminentem iure belli utitur, dicitur *defensor*: is vero, a quo laesio infertur vel imminet, *aggressor* seu *offendens*.

1. Hinc pone aggressorem et defensorem; pones bellum: ergo aggressor et defensor sunt hostes.

2. Aggressor laedit, defensor laeditur. Ergo bellum defensoris est iustum, aggressoris iniustum.

§. 483.

Ius sese defendendi datur etiam etiam contra laesionem imminentem. Itaque defensor  
non

non obligatur primum actum aggressionis expectare (§.475.); sed habet ius inferendi mala violenta aggressori, antequam actu laedat, id quod dicitur *ius praeuentionis*.

## §. 484.

Finis iuris defensionis est status securitatis. Competit itaque ius defensionis ab eo tempore, quo in periculo esse incipimus, hoc est, quo alter hostilem animum aduersus nos ostendit, et durat tam diu, quoad extra periculi aleam simus constituti, siue quoad statum securitatis recuperauerimus. Ergo durat etiam, donec cautio sufficiens de non amplius laedendo praestita fuerit. Haec securitas atque cautio, vtrum et quando sufficiens sit, iudicio, defensoris relinquendum est (§.479.).

## §. 485.

Ius belli igitur ambitu suo et laesiones illatas et praesentes atque imminentes complectitur. Ergo bellum iuste inferitur et continuatur, donec non tantum

1. damnum illatum vel restitutione vel satisfactione est resarcitum, et
2. laesio praesens cessat; sed etiam
3. donec omne periculum propulsatum et securitas in omne futurum adserta et vindicata.

I. Quidam bellum in *reparatiuum*, *defensuum* et *vindicatiuum* distinguunt.

## §. 486.

Si ultra hos terminos bellum protenditur, læsus incipit lædere, et ex hoste iusto ac defensore fit aggressor: contra aggressor pristinus nunc euadit defensor et hostis iustus.

I. Haec in thesi certa: in hypothesei vero et casibus obuiis determinare defensionis iustae limites, infinitis difficultatibus premitur.

## §. 487.

Si bellum oritur inter duos, alii aut auxilium alterutri hostium ferunt, aut minus. Est vero *auxilium* coniunctio virium suarum cum viribus alterius in exsequendo eius proposito.

## §. 488.

Qui fert auxilium hosti, vocatur *partium studiosus*, qui non fert, seu a partium studio vacuus est, dicitur esse *neutralium partium* seu *neutralis*.

## §. 489.

Quilibet subito inter alios bello a natura habet ius neutralitatis, ideoque neutralitas per se nunquam est causa belli iustifica.

## §. 490.

Hosti auxilium variis modis ferri potest, ideoque variis modis quis partium studiosus

sus esse potest. Si vero auxilium fertur hosti qua tali; is, qui eiusmodi partium studio tenetur, appellatur *auxiliator hostis* in sensu speciali.

## §. 491.

Auxiliator hostis iuvat hostem in bello contra alium, ideoque ipse bellum infert. Ergo ipse euadit hostis. Consequenter in auxiliatorem hostis licent, quaecumque in hostem sunt licita.

## §. 492.

Auxiliator hostis est accessorium hostis. Quodsi igitur hostis principalis est iustus, eandem naturam induit auxiliator: si contra ille est iniustus: ipse itidem est iniustus.

## §. 493.

Haec generalia paucis ad statum mere naturalem absolutum et hypotheticum adplicanda. Ex diuersitate eius, quod suum vocatur, diuersae laesionum, damnorum et belli species enascuntur.

## §. 494.

In suo connato primum occurrit vita et corpus. Si vitam vel corpus defendo: haec defensio vocatur *moderamen inculpatae tutelae*, quod datur cum internectione aggressoris.

1. Corpori si vulnera infliguntur, saepissime sunt damna *citra mensuram data*.

I 5

2. Ad

2. Ad quaestionem: an ad fugiendum perfecte obligetur, qui fuga euitare vitae periculum potest? facilis est responsio.

§. 495.

Tum existimatio bona simplex in censu sui conuati deprehenditur. Contra laesionem famae per contumeliosa facta vel uerba datur ius cogendi, ut alter declaret, se poenitere dicti uel facti iniuriosi, id est ius ad *deprecationem*, uel ut declaret, iudicare se alterum uirum iustum, sibiue in iis, quae dixerit feceritue, animum iniuriandi non fuisse, quod uocant *declarationem honoris*; uel ut declaret, se mentitum esse respectu uerborum contumeliosorum, quod dicunt *recantationem* seu *palinodiam*. Competit denique ius, contumeliam illatam contumelia reuendendi, siue *ius reuersionis*.

§. 496.

Ius adquirendi tum res nullius, tum alienum, seu ius occupandi et paciscendi pertinet ad iura conuata. Qui in hoc iure turbatur, damni reparationem exigere potest.

§. 497.

Qui ad paciscendum uel dolo alterum inducit, uel ui compellit, tenetur ad id quod interest.

§. 498.

## §. 498.

Ex pacto nascitur suum quaesitum. Qui igitur pactum violat, non adimplet, conditionibus stare recusat: contra eum datur vel ius cogendi, vt adimpleat promissum: vel ius recedendi a pacto (§.242.).

I. Optionis itaque ius hoc casu laeso est tribuendum. Siue enim cogere alterum, siue recedere ipse a conuentione malit, vtrunque iuste agit.

## §. 499.

Suum quaesitum seu id quod ad bona, fortunas, patrimonium nostrum pertinet, quacumque ratione ab altero possideatur, ab eo repeti id est *vindicari* potest. Hinc contra quemcumque nostri quaesiti possessorem datur *vindicatio*: siue sit res, siue ius in rem, vnde datur vel *rei* vel *iuris vindicatio*.

I. Si quis igitur rem alienam pacto in me transtulit, et dominus rem suam vindicat, tenetur transferens mihi ad satisfactionem, seu ad pretium rei vindicatae reddendum, quod appellant *praestare euictionem*.

## §. 500.

Possessor alieni aut est possessor malae fidei aut bonae (§.287.).

## §. 501.



## §. 501.

Qui rem, quam ignorat esse alienam, occupavit, vel rem, cuius verum dominum ignorat, a tertio non domino pacto adquisivit, est bonae fidei possessor. Itaque bonae fidei possessor iuste *putat*, rem, quam occupavit, esse nullius, vel rem, quam pacto adquisivit, esse transferentis.

1. Hinc bonae fidei possessor dicitur habere *titulum putativum*.

## §. 502.

Hinc bonae fidei possessor fit rei alienae dominus, donec verus dominus appareat. (§. 294.) Ergo omnes actus dominii interim iuste exercet, ideoque, dum dominus verus apparet, non nisi ad tantum ei restituendum tenetur, quantum ex re adhuc habet, vel in subsidium ad tantum satisfaciendum, quantum ex re adhuc locupletior est.

## §. 503.

Contra qui rem, quam scit esse alienam, occupavit, vel rem, cuius novit verum dominum, a tertio non domino pacto adquisivit, est malae fidei possessor.

## §. 504.

Hinc malae fidei possessor numquam fit dominus, et omnes, quos exercet, dominii actus sunt iniusti. Ergo vero domino tenetur ad rem restituendam cum omni causa, vel in subsidium ei satisfaciendum de omni eo, quod interfuit domini inde ex eo  
tem-

tempore, quo rem alienam sciens possidere coepit.

1. Hanc iuris differentiam circa bonae et malae fidei possessionem alii ita exprimunt: bonae fidei possessor tenetur dumtaxat *ex re*; malae vero fidei possessor simul *ex facto*.

§. 505.

Ad malae fidei possessores refer furem, raptorem, spoliatorem, latronem et quemcumque, qui bona nostra sciens et volens imminuit, adimit, lucrum ex fructibus patrimonii nostri intercipit, cet.

§. 506.

Patet itaque, innumeris modis laesiones exoriri posse. Inde *controuersiae* seu lites nascuntur, quae continent actus, quo plures sibi inuicem de eo, quod suum est, contradicunt.

§. 507.

Exorta itaque controuersia alter litigantium ius in alterum ad dandum vel faciendum affirmat: quod ius dum alter negat, se obligari alteri ad dandum vel faciendum, seu se debere aliquid alteri, negat. Lites exortae, quibus modis in statu mere naturali finiri queant, nunc vt disquiratur, superest.

§. 508.

*Debitum*, de quo controuertitur, vel est *liquidum* vel *illiquidum*, prouti aliquem ad aliquid praestandum obligari, vel certo constat, vel minus.

I. Si

1. Si de liquido debito controuertitur ; adest *laesio certa* ; si de illiquido ; *dubia*.

§. 509.

**Lites de debito liquido finiuntur**

1. iis modis, quibus obligatio in genere,  
2. quibus obligatio ex facto iusto contracta tollitur, mutatis tamen mutandis: cum hoc casu omnis obligatio adiunctum habeat factum iniustum, denegationem scilicet debiti liquidi, in specie

3. pacto a creditore debitori vi seu bello extorto. Quum enim in laedentem vis omnis iusta: pactum quoque bello extortum erit pactum iustum.

§. 510.

**Illiquidum debitum aut liquidum reddi potest, aut minus.**

§. 511.

**Illiquidum redditur liquidum per probationem.** *Probat* ius suum in alterum vel debitum alterius, si eius veritas haecenus dubia euincitur.

§. 512.

**Omnis itaque probatio supponit**

1. litem, et quidem  
2. de iure quaesito suo, seu obligatione alterius contracta.

§. 513.

**Omne ius quaesitum et obligatio contracta**

tracta supponit factum (§. 432. et 261.) Ergo omnis probatio versatur circa facta.

§. 514.

Circa facta omne, quod inquiritur, est:

1. an factum existat?
2. an factum existens sit iustum?

§. 515.

Si existentia facti probatur; dicitur *probatio facti*, si eius iustitia, *probatio iuris*.

§. 516.

Qui negat facti existentiam, negat ius quaesitum et obligationem contractam, ideoque se fundat in libertate naturali et suo connato. Ergo probare nihil tenetur (§. 431.) Itaque adfirmanti existentiam facti incumbit probatio.

§. 517.

Qui negat iustitiam facti, negat alterum esse iustum. Nemo, se iustum esse, probare tenetur (§. 258.): Ergo neganti iustitiam facti probatio incumbit.

§. 518.

Factum probatur multifariam: per *testes*, qui sunt personae, quae ad fidem faciendam de facto tertii adhibentur, per *instrumenta*, quae continent scripturam, in qua veritas facti narratur, per *iuramentum*, cet.

§. 519.

## §. 519.

Iniustitia facti probanda semper per *rationem*, cuius conclusio est: factum tuum est laesio.

## §. 520.

Quodsi hac ratione debitum illiquidum factum fuerit liquidum: tum iisdem modis controuersia finitur, quibus finiri diximus litem de debito liquido.

## §. 521.

Si e contrario debitum probatione instituta liquidum reddi nequit, atque ita dubium superest, ad quem litigiosum pertineat: non aliud in statu mere naturali reperitur medium terminandae contradictionis et mutui distensus, quam consensus reciprocus in idem litigiosum, hoc est *pactum*.

## §. 522.

Hoc pactum vel interueniente tertio sancitur, vel minus.

## §. 523.

Interueniens tertius ad litem aliorum terminandam neque obtrudere sese, neque ipse cogi potest. Itaque mutuo duntaxat litigantium cum tertio consensu operam suam legitime interponit.

## §. 524.

§. 524.

Consentiunt vero litigantes in tertium, vt vel decisione vel consiliis suis litem terminet. In priori casu tertius appellatur *Arbitr*, in posteriori *Mediator* seu *arbitrator*.

§. 525.

Pactum, quo litigantes arbitrum constituunt, vocatur *compromissum*; ius arbitri *arbitrium*; iudicium vero arbitri, quo decidit litem, *laudum*.

§. 526.

Litigantes laudo adquietere perfecte obligantur, ideoque compromissum est modus finiendi lites.

§. 527.

*Mediatoris* officium est, consiliis vtrumque litigantem adiuuare; offerre vtrinque conditiones terminandae litis, suadere, vt eae acceptentur. Litigantibus recusare vel acceptare conditiones oblatas aeque est integrum, quatenus vero actu in eas acceptandas

K

das

das mutuo consentiunt: eatenus mediatio-  
ne finitur controuersia.

§. 528.

Ceterum ad pactum illud, quo lis de de-  
bito dubio finitur, vel bello vel absque  
bello, hoc est aut *violenta* aut *placida ra-  
tione* peruenire possunt pacifcentes.

I. Vnde liquet, mediationi atque ar-  
bitrio tum belli tum pacis tempore locum  
esse.

§. 529.

Si placida ratione litigantes terminant  
controuersiam absque interueniente tertio:  
pactum vocatur *amicabilis compositio*.

§. 530.

Eius species est *transactio*, quae continet  
pactum, quo litigantes vtrunque dato ali-  
quo vel retento litem componunt. Alia re-  
peritur in *sorte*, vno verbo: de quocum-  
que modo litigantes conueniunt ad diri-  
mendam controuersiam, eo iuste dirimi-  
tur.

§. 531.

§. 531.

Quodsi in placidam rationem non consentiunt, armorum iudicium experiendum. In lite de debito dubio vterque litigantium suo iudicio standi ius habet (§. 249.). Igitur vterque ius suum iuste persequitur, vterque iustum gerit bellum, vterque iuste et eripit res et inuadit iura et petit ipsam personam alterius litigantis, et quod ereptum, inuasum, petatum, alter iusta violentia recuperat, defendit, repetit.

§. 532.

Nam quum hoc casu laesio sit dubia: et damnum erit dubium, et quod acquiritur, erit dubii iuris, immo omne suum euadet incertum, quippe violentiae alterius expositum.

1. In bello itaque eiusmodi omne ius sola possessione nititur: nec bellum est modus acquirendi, nec datur occupatio bellica respectu alterius litigantis.


§. 533.

Itaque bellum ipsum non finit controversiam; nec victoria decidens finit litem.



## §. 534.

Sed modi, quibus finitur bellum, sunt modi finiendi eiusmodi litem. Finitur vero omne bellum vel mortē alterutrius hostis vel pacto. Pactum, quo lis hostium finitur, est pactum pacis. Itaque modi, quibus lis hostium de debito dubio finitur, sunt interitus hostis et sanctio pacis.



## IVRIS NATVRALIS

## LIB. II.

## IVS SOCIETATVM MINORVM.

## CAP. I.

## IVS SOCIALE IN GENERE.

## §. 535.

**V**ita hominis, aliorum auxiliis destituta, incommoda maximopere ducitur atque miserrima. Auxiliis e contrario adiuta nihil est, quod desiderari queat, quo eniti non possit. Auxilia dando vel faciendo feruntur, hoc est, vel in *rebus* vel in *operis* consistunt. Quid iustum atque iniustum sit, ubi aliorum *res* et *iura in res* fuerint acquisita, satis superque excussimus. Nunc quae ex *operarum* cum aliis communicatione iura nascantur atque obligationes, explanandum.

## §. 536.

Dantur plures hominum fines (§. 135.), qui usum virium continuatum requirunt, et ab vno homine vel plane non, vel difficulter obtineri possunt. Eiusmodi *finis* pluribus idem vocatur *communis*. Hinc cum necesse tum maxime proficuum esse ad vi-

tam commode atque feliciter traducendam fenserunt mortales, ut unirent vires seu operas suas, hoc est, ut sese iungerent in communi fini persequendo. Ex hac plurimum coniunctione ortae societates.

## §. 537.

*Societas* sumitur mox pro ipsa plurimum ad communem finem persequendum *coniunctione*, mox pro *statu* inde orto, et denique etiam pro *coetu* hominum ita coniunctorum.

## §. 538.

In omni societate mutuam a sociis sibi inuicem praestatur auxilium seu adiutorium (§. 487.).

## §. 539.

Voluntas non nisi ad bonum fertur (§. 48.). Finis itaque omnis *bonum* continet, et finis communis *bonum commune*, quod et appellant *salutem communem*. In omni itaque societate deprehenditur

1. Bonum quoddam commune, ad quod obtinendum omnes socii conferunt vires,
2. et quod obtentum in omnes socios redundat.

## §. 540.

Sociis ob idem commune bonum, quod appetunt, et eundem finem communem, quem

quem persequuntur, tribuenda vna voluntas, vnus intellectus, vnitas virium. Hinc socii considerantur vt vna *persona*, qualis persona ficta ex pluribus composita dicitur *moralis* seu *mystica*.

## §. 541.

Pone societatem, pones duos vel plures homines,

1. quorum quilibet singulus iurium atque obligationum humanarum capax est;
2. qui coniunctim sumti tamquam vna persona iurium atque obligationum habiles sunt.

## §. 542.

Itaque applicari ad societates recte possunt leges iuris naturalis singulorum hominum. Quale ius actu applicatum vocatur *ius sociale*.

## §. 543.

In omni societate duplex est consideratio: alia societatis respectu *non sociorum*, alia societatis respectu *sociorum suorum*.

## §. 544.

Inde oritur duplex ius sociale: aliud est ius societatis respectu aliorum hominum non sociorum, quod dicimus *ius sociale externum*, aliud est ius societatis respectu sociorum suorum, quod appellamus *ius sociale internum*.

## §. 545.

*Ius sociale externum* est complexus legum perfectarum, ideoque iurium atque obligationum, quae societati respectu aliorum hominum non sociorum sunt tribuendae.

## §. 546.

Principium iuris socialis externi adaequatum est:

1. intuitu aliorum hominum non sociorum: *Ne turbent alii homines non socii conservationem societatis, seu: quilibet non socius suum tribuat societati;*

2. intuitu ipsius societatis: *Ne turbet societas conservationem aliorum non sociorum, seu quaelibet societas suum tribuat aliis hominibus non sociis.*

## §. 547.

Pone societatem oriri

1. legibus perfectis non contrariam, hoc est *iustam,*

2. inter homines, qui hactenus in *statu mere naturali* vixerunt: ponendum est, hanc societatem considerari debere tamquam unam personam in statu mere naturali degentem.

## §. 548.

Huiusmodi itaque societati competit intuitu aliorum hominum non sociorum

1. identitas iurium,

2. aequa-

2. aequalitas,
3. libertas naturalis,
4. existimatio bona simplex.

§. 549.

Haec tribuenda societati, simul atque existere coepit, ideoque respondent *suo* hominis *connato*.

§. 550.

Nec minus eiusmodi societas rerum a se occupatarum fit domina; rerum sibi propriarum accessoria ex lege, et alienum pacto acquirit.

§. 551.

Haec tribuenda societati accedente illius facto, ideoque respondent *suo* hominis *adquisito*.

§. 552.

Porro, si suum societatis violatur ab aliis non sociis; competit societati laesae contra quemlibet alium facultas moralis cogendi actualis, ius ad exigendam damni dati reparationem, ius sese defendendi, ius statum securitatis sibi adserendi, vno verbo, *ius belli* contra alium quemlibet *laedentem* et aggressorem.

§. 553.

Denique uti iura, ita et obligationes mere naturales societati eiusmodi tribuendae. Tenetur ad suum et connatum et adquisi-

K 5

tum

tum aliorum iis relinquendum, ad neminem ladendum, ad dampnum datum reparandum, cet.

## §. 554.

Haec omnia quum merum contineant ius naturale, iis vltcrius immorari superuacaneum est.

## §. 555.

*Ius sociale internum* est complexus legum perfectarum, ideoque iurium atque obligationum, quae societati respectu sociorum suorum sunt tribuendae. Itaque eius principium adaequatum est: *ne turbet socius socii conseruationem; seu socius suum tribuat. Socio.*

## §. 556.

Iura atque obligationes sociorum erga se inuicem sunt duplicis generis: vel sociorum, qua hominum, vel sociorum, qua talium. Illa sunt iura naturalia atque obligationes naturales, haec sunt iura socialia, obligationes sociales. Illa sunt eadem cum iis, quae in statu mere naturali percentuimus: haec oriuntur ex ipsa societate, et sola sunt, de quibus hic loci differendum.

## §. 557.

Non vero omnes societates iuribus atque obligationibus socialibus instructae sunt. Vel enim socii sibi inuicem ad finem communem

munem coniunctim persequendum perfecte obligantur, vel minus. Illae societates sunt *obligatoriae*, hae *precariae*.

§. 558.

Socii precarii sibi inuicem tantum tenentur obligatione naturali: Socii obligatorii vero simul obligatione sociorum, qua talium, seu sociali.

§. 559.

Societates precarias mittimus, tamquam exules ex ciuitate iuridica. Societates obligatoriae continent mutuam sociorum obligationem ad persequendum finem communem.

§. 560.

Ex hac obligatione mutua descendit ius mutuum, seu ius socii in socium, ut viribus suis utatur in obtinendo bono communi. Hoc ius est adfirmatiuum (§. 261.). Hinc *societas obligatoria* vocatur status, quo personae in personam ad persequendum finem communem competit ius adfirmatiuum.

I. Sed tamen non omne ius adfirmatiuum in personam est simul ius sociale. Omne ius adfirmatiuum est ad praestandum aliquid, idcoque vel ad dandum vel ad faciendum. Si inter plures non intercedit aliud ius aliaque obligatio, nisi ad dandum: est ius mere naturale



le vel obligatio mere naturalis. Si vero intercedit ius atque *obligatio ad faciendum* quod *usum virium continuatum* requirit: tum demum existit ius sociale. Ius adfirmatiuum naturale vnico actu absolui potest, ius adfirmatiuum sociale plures actus requirit.

## §. 561.

Hinc, si applicaueris principium iuris socialis interni ad societates obligatorias quales, nascitur sequens adaequatum: *Socius socio tribuat suum sociale.* Vnde deriuatur principium: *quilibet socius curet, vt quae ad bonum commune pertinent, et ipse et reliqui socii peragent.*

1. Bonum commune continet finem, itaque haec obligatio atque hoc ius ad finem simul ad remedia adhibenda, ad impedimenta remouenda, ad occasionem amplectendam dat ius atque obligationem.

## §. 562.

Ex hac lege sociali vniuersali deducitur  
1. obligatio cuiuslibet socii ad peragenda, quae ad commune bonum pertinent, et  
2. ius cuiuslibet socii, ne quis eum turbet in actionibus socialibus, et ius adigendi reliquos socios, vt ipsi collaborent.

## §. 563.

Quatenus igitur socii ad bonum commune perfecte obligantur, eatenus illud  
priuato

privato bono praeferre tenentur. Hinc *salus communis suprema societatis lex* dicitur.

§. 564.

Quodsi tamen collidit inter se bonum commune cum conseruatione totali socii: licet socio ob fauorem necessitatis negligere officia socialia, ne ipse pereat (§. 205.). Non vero adest collisio, nisi

1. collidat conseruatio totalis socii, et quidem

2. cum obligatione sociali perfecta. Priori casu socius et iniuste et illicite ageret, posteriori casu et licite et iuste agit; si privatam salutem praefert communi.

§. 565.

Omnis finis communis requirit vsum vifium continuatum, ergo plura negotia continet, quae, tamquam media ad finem communem obtinendum, expediri debent. Haec negotia, quae et quomodo expedienda, determinari debet.

§. 566.

Ex determinatione, quae negotia socialia et quomodo expedienda sint, oriuntur propositiones, secundum quas socii actiones suas dirigere obligantur. Itaque societas indiget *legibus*, quae dicuntur *sociales*.

§. 567.

In his negotiis determinandis aut omnium sociorum ius est idem, aut diuersum. Si diuersum

diuersum; alteri competit ius negotia socialia pro arbitrio determinandi, quod alteri non competit, qui potius secundum ea, quae alter determinat, agere obligatur.

## §. 568.

Ius socii pro arbitrio determinandi, quae negotia socialia et quomodo ab altero socio expediri debeant, dicitur *imperium*. Itaque omnis *societas* vel *agnoscit imperium* vel *minus*.

## §. 569.

Socius, qui in societate imperat, *superior* seu *imperans*; cui imperatur, seu qui paret atque ad obsequium tenetur, vocatur *inferior* seu *subditus*. Socius socio inferior vel superior dicitur ei *inaequalis*, socius socio nec inferior nec superior est ei *aequalis*. Hinc omnis *societas* vel est *aequalis*, vel *inaequalis*. Dantur, qui illam dicunt *aequatoriam*, hanc *rectoriam*.

## §. 570.

Imperans qua talis habet ius, leges subditis ferendi (§. 566.).

## §. 571.

Ius leges ferendi inuoluit et ius eas mutandi et abrogandi pro arbitrio, atque ius mala connectendi cum actionibus subditorum contra leges peractis, id est *ius poenam irrogandi* seu *puniendi*.

## §. 572.

## §. 572.

Imperium vel constitutum in omnes omnino subditorum actiones, vel minus; illud dicitur *despoticum*, hoc *limitatum*. Hinc societas inaequalis vel *despotica* vel *limitata*.

## §. 573.

Societas despotica est semper una eademque: limitata e contrario infiniti generis.

## §. 574.

Quatenus imperans non limitatur, eatenus agere pro arbitrio potest: quatenus limitatur, eatenus pro arbitrio agere nequit.

1. Hinc societas limitata, quatenus constituit imperium, est inaequalis: quatenus limitatur, est aequalis.

## §. 575.

Imperans, quatenus limitatur, nihil valide agit, nisi cum consensu subditorum.

## §. 576.

Vno verbo: quatenus imperium limitatur, eatenus coincidit societas inaequalis cum aequali.

## §. 577.

Omnis societatis aequalis anima et regula sola consensus sociorum. Consensu hoc determinantur sociorum et actiones singulae et actionum genera, negotia singula et negotiorum genera eorumque modi.

## §. 578.

## §. 578.

Quaecumque negotia expedienda nondum per praecedentem consensum determinata sunt, ea ut determinentur, *votis* perficiendum est, quae continent voluntatem a socio societati declaratam intuitu negotii socialis, quod in deliberationem venit (§. 352.).

## §. 579.

Haec voluntatis declaratio inuoluit iudicium, ex cuius diuersitate *vota* ipsa diuersa nascuntur: *affirmatiua*, *negatiua*, *categorica*, *hypothetica*, cet.

## §. 580.

Votis consentientibus efficitur lex socialis (§. 566.). Dissidentibus nihil efficitur.

## §. 581.

Vota numerari, an ponderari debeant, vtrum duntaxat omnia, an etiam plurima si consentiant, concludant, et quota pars votorum consonorum concludat, an absentium quoque, vtrum duntaxat praesentium vota in censum veniant, non nisi ex consensu sociorum intercedenti dependet.

## §. 582.

Scilicet omnis societas vel pacto constituitur vel absque pacto. Cuius rei rationes hae sunt tenendae.

## §. 583.

## §. 583.

A natura nemini competit in alterum ius affirmatiuum (§. 261.). Itaque omne ius sociale pertinet ad suum adq̄uisitum.

## §. 584.

Omne suum, quod adq̄uitur, vel est accessorium sui, vel minus. Accessorium mei pertinet ipso iure ad me. Reliquum suum adq̄uisitum vel fuit alienum, vel res nullius. Illud pacto, hoc occupatione adq̄uitur. Haec si ad societatem obligatoriam, quae dubio procul continet modum adq̄uendi, applicaueris, reperia:

1. non dari societatem occupatitiam,
2. dari societatem ex accessione, de qua infra, quae sui generis est vnica,
3. reliquam omnem societatem constitui pacto.

## §. 585.

Societas, quae pacto constituitur, vocatur *pactitia* seu *voluntaria*, quae pacto non constituitur, *necessaria*.

## §. 586.

De societate pactitia subiungenda quaedam, quae ex notione pacti et conditionibus pacti sequuntur.

## §. 587.

Socii societatis voluntariae sunt pacificentes. Itaque si nititur societas pacto vel nul-

L

lo

lo vel iniusto, consequenter inualido, ipsa *societas est nulla vel iniusta, consequenter in-  
valida et non obligatoria.* Contra quatenus  
continet pactum verum et iustum ideoque  
validum, eatenus ipsa *societas est vera, iu-  
sta, valida, obligatoria.*

§. 588.

Porro omnis societas voluntaria aut *pa-  
cto expresso* aut *tacito* constituitur. Tertiu-  
m non datur. Ergo quae pacto praesum-  
to fundari fingitur, in statu naturali est nul-  
la (§. 358.).

§. 589.

De quo conuenit inter socios volunta-  
rios, illud in societate voluntaria obliga-  
torium est. Ex mutuo consensu omnis ob-  
ligatio socialis, omne ius sociale dimetien-  
dum et

1. intuitu finis communis, quinam fue-  
rit constitutus, et
2. intuitu remediorum, quibus sit per-  
sequendus, ideoque intuitu negotiorum so-  
cialium, quae et quomodo sint expedienda.

I. Quum determinatio finis et remediorum  
diuersissima cogitari possit: sequitur, vt et pa-  
cti socialis diuersissimae esse queant conditio-  
nes, adeo vt, quod in altera est obligatorium,  
in altera non sit obligatorium, immo quod in  
altera est iustum, in altera sit iniustum.

§. 590.

## §. 590.

Quatenus pactum sociale initum, eatenus iura socialia et obligationes sociales oriuntur. Hinc

1. Socii non omni respectu sunt socii,
2. Socii voluntarii ultra pactum sociale non tenentur, nec obligationibus socialibus obstringuntur; sed in reliquis actionibus iure mere naturali utuntur.

## §. 591.

Societas voluntaria vel est *inaequalis* vel *aequalis*.

1. Itaque, quae de societate inaequali et aequali antea diximus, ad societatem voluntariam applicari possunt.

## §. 592.

Si laeditur socius a socio: integrum est laeso, vtrum cogere alterum laedentem, vt obligationi suae satisfiat (§. 461.), an ipse resilire a societate malit (§. 242.).

## §. 593.

Quodsi hoc casu laesus actu a societate recedit; tollitur societas. En modum tollendi societatem supposita laesione. Remota laesione tollitur societas iis modis, quibus tollitur ius adfirmatiuum in alterum ad faciendum, ideoque iis modis, quibus expirat obligatio ad faciendum.

L 2

§. 594.



## §. 594.

Itaque si abstrahamus a laesione, tollitur societas tum *casu*, siue deficiat alteruter sociorum, siue fiat impossibile, quod faciendum est: tum etiam *facto iusto*, id est, consensu mutuo leu *pacto*.

## §. 595.

Species societatum infinitae cogitari possunt, quarum caput est ciuitas. Quae societates ad hanc distinctius cognoscendam pertinent, eae prae reliquis vt exponantur, necesse est. Hoc fine posito dispescimus societates in *maximam*, quae est *ciuitas*, et *minores*, quae sunt reliquae omnes. Minores iterum distinguimus in *simplites*, quarum socii sunt singuli homines, et *compositas*, quarum loci sunt integrae societates simplices. Simples, quas explicabimus, sunt *societas matrimonialis*, *paterna*, *berilis*: composita, quam perpendemus, est ea vnica, quae ex his dictis simplicibus coalescit, id est *familia*.



CAPVT

CAPVT II.  
**I V S M A T R I M O N I A L E**  
 E T  
**P A T E R N V M.**

§. 596.

**M***atrimonium* est societas maris et feminae ad procreandam atque educandam sobolem inita. Vocatur etiam *coniugium*, *connubium*, et eius socii *coniuges*.

1. *Educare* est curare felicitatem eius, qui ob teneram aetatem se ipsum perficere nondum valet.

2. *Mutuum adiutorium* est finis matrimonii non qua matrimonii; sed qua societatis (§. 538.). Ergo *matrimonium virgineum* non est matrimonium.

3. Posito hoc fine matrimonii composito tamquam vnico, qui rectae rationis legibus congruit: omnis concubitus, qui huic fini non respondet, est illicitus, quo pertinet *stuprum*, *fornicatio* et omnis *vaga libido*.

§. 597.

**M***atrimonium* est societas voluntaria, simplex et aequalis.

L 3

§. 598.

## §. 598.

Matrimonium constituitur *pacto*. Itaque si alteruter coniugum est inhabilis ad consentiendum vel ad procreandam educandamque prolem; matrimonium est nullum (§. 337.).

1. Inhabilis quis esse potest ad procreandam educandamque sobolem per *aetatem*, quo refer infantem et decrepitum; ad procreandum in specie per *vitium corporis*, quo pertinent impotentes, steriles, eunuchi, spadones; demum ad educandum quoque per *vitium mentis*.

## §. 599.

Porro, si quis ad ineundum matrimonium dolo inductus vel vi iniusta compulsus fuerit: matrimonium est iniustum (§. 338.).

1. Huc pertinet matrimonium stupratae, quae pro virgine se venditavit, vel matrimonium inter raptorem et raptam.

## §. 600.

Matrimonium requirit pactum expressum, quod pactum de ineundo matrimonio vocant *sponsalia*. Vnde conficitur:

1. sponsalia mutuo consensu constitui; mutuo vero dissensu dissolui.

2. Si bina sponsalia fuerint celebrata; priora esse praeferenda; quodsi tamen

3. per-

3. persona, in cuius praeiudicium sponsalia posteriora celebrata, ius suum remittat; posteriora sponsalia valida fieri.

## §. 601.

*Nuptiae* sunt cohabitationis initium. Differunt hinc nuptiae a sponsalibus, ut adimpletio pacti a pacto ipso.

I. Mas et femina desponsati ante nuptias vocantur *sponsus* & *sponsa*, post nuptias maritus et vxor, seu vno verbo *coniuges* in sensu speciali.

## §, 602.

Coniuges sunt vel *monogami* vel *polygami*. Polygamia maris dicitur *polygynia*, feminae *polyandria*. Hanc natura abhorret, illa pluribus gentibus recepta.

## §. 603.

Ex pacto matrimoniali oritur obligatio coniugum mutua, cohabitandi inuicem, et quae ad procreandam educandamque sobolem pertinere possunt, faciendi; quae vero hunc finem impediunt, fugiendi.

## §. 604.

Inde *fides* (§. 362.) *coniugalis* concipitur, ad quam vterque coniugum obligatur, et quae ex pacto matrimoniali diiudicanda. Idem dicendum de *fide sponsalitia*.

## §. 605.

Si violatur *fides coniugalis*, pars laesa contra laedentem facultate cogendi uti, aut etiam ipsa tollere societatem matrimonialem potest. Posterius fit per *diuortium*, quod est actus, quo matrimonium dissolvitur. Idem valet de *fide sponsalitia*, ex cuius violatione concipitur *repudium*, seu actus, quo sponsalia dissolventur.

## §. 606.

Reliqua fere omnia, quae hodie requiruntur ad matrimonium ratum et legitimum constituendum, vel etiam ad illud dissolvendum, aliunde arcessenda.

## §. 607.

Societas inter parentes atque eorum liberos qua tales vocatur *societas paterna*.

## §. 608.

Proles ex facto parentum communi seu generatione existentiam nanciscitur, ideoque est accessorium sui parentum et suum eorum adquisitionum. Itaque in liberos competunt parentibus ea iura, quae tribuuntur in accessorium sui. Haec vero iura in liberos non alia cogitari possunt, quam quae consistunt in imperio, accepto hoc vocabulo in eo sensu generali, quo eo supra usi sumus  
(§. 568.)

(§. 568.). Ergo parentes habent imperium in liberos.

1. Liberi itaque qua tales non sunt in statu mere naturali.

§. 569.

Proles simul est homo. Posito homine ponendum est eius ius in vitam suam, ideoque ius in quemlibet, ne destruat. Itaque parentum imperium in prolem limitatur per obligationem, eos non destruendi. Ergo parentum in liberos imperium in eas tantum actiones extenditur, quae ad conservandam et perficiendam prolem faciunt.

1. Itaque ius parentum in liberos non est dominium. Quodsi dominium foret; liberi res propriae essent, et cessarent esse homines in sensu iuris, id est iurium atque obligationum humanarum capaces.

2. Ceterum obligatio liberorum efficit, ut iis neque identitas iurium neque aequalitas naturalis respectu parentum sit tribuenda.

§. 610.

Ius parentum in liberos vocatur *patria potestas*.

L 4

§. 611.

## §. 611.

Dum itaque nascitur proles : existit societas paterna, quæ est *necessaria* (§. 584.) et *inaequalis*.

## §. 612.

Eius socii sunt

1. proles, cuius status naturalis limitatur patria potestate,
2. parentes, quorum imperium limitatur iure prolis, ne destruat.

## §. 613.

Parentum ius in prolem est ius sociale, cui respondet obligatio prolis erga parentes socialis.

## §. 614.

Contra parentum obligatio erga prolem, est naturalis duntaxat, cui respondet ius prolis in parentes, quod etiam non nisi naturale est.

## §. 615.

Patriæ potestatis præcipuum procul dubio est *ius educandi*, ex quo deriuatur ius instituendi liberos in religione, scientiis, artibus

tibus, ius corrigendi, emendandi. Cetera patriae potestatis iura sunt: praescribere liberis, quae eos agere oporteat, prohibere, quae ab iis fieri nolint, immorigeros acrioribus remediis in ordinem cogere, eos eiicere e domo, alimenta iis denegare, actiones liberorum simul in propriam utilitatem vertere, per eos acquirere cet.

## §. 616.

Patriae potestati respondet prolis obligatio socialis ad obsequium, ita ut proles citra parentum consensum promittere, accipere, egredi ex familia, nuptias celebrare cet. nequeat.

## §. 617.

Ex obligatione parentum naturali sequitur, eis ius minime esse, vulnerandi, mutilandi, occidendi sobolem, rei instar eam venundandi, aut alia ratione alienandi, contra ius naturae ei quid praecipienda vel prohibenda, eam ad religionem cogendi, suum prolis, consensu parentum quaesitum, ei auferendi cet.

## §. 618.

In his similibusque casibus cessat obligatio liberorum socialis; quin nascitur iis potius



tius tamquam hominibus ius defensionis et belli.

§. 619.

Ex iure prolis in parentes mere naturali evidens fit, liberis facultatem non esse cogendi parentes, vt illos educant, iisque alimenta praebeant.

§. 620.

E contrario parentes tamquam coniuges sibi inuicem socialiter obligantur ad sobolem educandam. Itaque procuratio abortus, expositio infantum, denegatio alimentorum et omnis actio, qua per iniuriam parentis fit, vt sobolis vita, sanitas, sensus, membra aliquid detrimenti capiant, aut intellectus voluntasque liberorum corrumpatur, est laesio.

§. 621.

Parentum ius in prolem est aequale. Igitur neuter parentum in praeiudicium alterius sibi soli iura educandi arrogare potest.

§. 622.

Tertius, qui turbat parentes in patria potestate, eos laedit,

§. 623.

## §. 623.

Patria potestas non tollitur nisi parentum vel morte vel consensu.

## §. 624.

Priori casu alterutro parentum mortuo, patria potestas deolvitur omnis in parentem superstitem: utroque mortuo, proles statum mere naturalem nanciscitur, seu fit sui iuris.

## §. 625.

Posterius fit vel *expresse per emancipationem*, quae est actus, quo quis expressis verbis ex patria potestate dimittitur, vel *tacite* per consensum in nuptias et separatam proles oeconomiam.

1. Proles *impubes* est, quae de alimentis, hoc est victu et amictu necessario, sibi ipsi prospicere nequit; quae potest, dicitur *pubes*. *Minorennis*; quae quidem alimenta sibi procurare, felicitatem tamen suam propria virtute promovere nequit; quae utrumque potest, vocatur *maiorennis*. Impubes et minorennis educatione opus habent; maiorennis minus. Circa hos itaque cessat ius educandi (§. 596.). Inde tamen colligi nequit, cessare simul omnem patriam potestatem (609. et 10.).

2. Alia

2. Alia vero est quaestio: an obligatio parentum qua coniugum mutua ad alimenta proli praebenda cesset circa puberem, et obligatio ad felicitatem prolis curandam cesset circa maiorenem? quod omnino adferendum.


§. 626.

Parentes habent ius, sumtus educationis a sobole repetendi.

§. 627.

Parentes ius educandi in alios transferre non prohibentur. Ex hac translatione oritur *tutela*, quae est ius educandi vicarium.

1. Species tutelae est, si soboles impubes vel minorennis derelinquitur, et tertius quidam in se suscipit educationis curam. Haec tutela similis est occupationi, et hinc dicitur, licet improprie, *tutela occupatitia*.



CAPVT

## CAPVT III.

## IVS HERILE ET DOMINICVM.

§. 628.

**I**ntroductis rerum dominiis alii egeni alii locupletes existere. Illi victur et amictu id est *alimentis* indigentes, hi operas alterius ad commodiorem vitam desiderantes, quod defuit vtrique, mutuo auxilio facile tribuere sibi inuicem posse reperiuerunt. Hinc orti famuli et heri.

§. 629.

*Famulus* est, qui operas pro alimentis praestare obligatur, et is, cuius quis est famulus, eius vocatur *herus*; societas vero famulum inter et herum qua tales, dicitur *societas herilis*.

§. 630.

Famulus ad operas hero praestandas, herus ad alimenta famulo ministranda perfecte obligatur.

§. 631.

Societas herilis est societas pactitia seu *voluntaria*.

1. Pactum hoc onerosum continet vel contractum do ut facias vel locationem conductionem operarum, prouti vel alimenta naturalia

turalia vel alimentorum vicarium *merces* seu pecunia promittitur.

§. 632.

Herus ex hoc pacto nanciscitur ius in operas famuli, ideoque ius determinandi, quas operas et quomodo eas praestare debeat famulus. Societas herilis itaque est societas *inaequalis*; cuius imperans est herus, subiectus autem famulus.

§. 633.

Si famulus operas, ad quas obligatur, denegat hero, vel eo modo, quo eas praestare tenetur, non praestat: hero nascitur ius puniendi famulum (§. 571.).

§. 634.

Si contra dominus alimenta promissa famulo non praebet: famulo ius est recedendi ex societate, et sublata hoc modo societate reuiuiscit utriusque status aequalitatis.

§. 635.

Cetera omnia ex tenore pacti decidenda:  
Famulus

1. vel ad vitae tempus vel ad determinatum tempus operas promittit; unde societas herilis est vel *perpetua* vel *temporaria*,

2. vel omnes vel certas seu determinatas operas pacto transtulit: unde societas herilis vel *omnimoda* seu *perfecta* vel *restricta* seu *imperfecta* nascitur,

3. vel

3. vel, vt paulo ante diximus, pro alimentis naturalibus vel pro certa mercede operas tuas alienauit: vnde societas herilis dicitur *obnoxia* aut *mercenaria*.

§. 636.

Ex societate herili perpetua et omnimoda oritur *seruitus*. *Seruus* scilicet est, qui operas omnes et perpetuas pro alimentis praestare alteri obligatur, et herus serui dicitur eius *dominus*, obligatio serui *seruitus*, imperium domini *potestas dominica* et societas domini cum seruo *societas dominica*.

§. 637.

Ex seruitutis conceptu colligitur

1. societatem dominicam esse despoticam (§. 572.),
2. seruo praeter ius in alimenta nullam omnino competere intuitu domini libertatem naturalem (§. 248.).
3. domino ius esse omnes utilitates ex serui operis capiendi,
4. seruum absque domini consensu neque acquirere sibi, neque sese aliis obligare valide posse.

Ergo pacisci, ex. gr. de matrimonio in-  
eundo cet. non potest, et quod occupat, quod  
adquirat, domino cedit.

add. II

§. 638.

*Seruitus* tollitur iis modis, quibus ex-  
spirat omnis societas pactitia (§. 594.). Huc  
pertinet in specie *manumissio*, quae est actus,  
quo dominus dimittit seruum ex seruitute.

M

Haec

Haec vt valida fiat, requirit pactum. Seruus, qui manumissus est, dicitur *libertus*. Libertus itaque per manumissionem rediit in statum naturalem.

- §. 639.

Plura circa potestatem dominicam ventilantur. Quaeritur: an dominus habeat ius transferendi in alium operas serui?

Seruitus continet pactum, quo operae alienantur: pactum supponit consensum. Obligatio serui vltra eius consensum non extendenda. Quaecumque obligatio ex idea huius consensu non necessario colligitur, ea seruo non incumbit. Seruus consensit, vt Caius eius fiat dominus; ergo consensit, vt quilibet alius, Titius, Sempromius, Meuius, in quemcumque scilicet illud transferre placuerit Caio, sit eius dominus: est talis consequentia. Ergo seruus non tenetur agnoscere dominum, quam illum, quem ex libero consensu sibi elegit.

1. Adest in omni de operis praestandis pacto respectus qualitatum personalissimarum. Hinc ex eiusmodi pacto nascuntur iura personalissima et obligationes personalissimae, quae indiuiduos paciscentes non egrediuntur (§. 437.). Nec domino hic plus iuris tribuendum quam seruo: qui vt ipse in libertatem redeat, ius non habet domino alium seruum substituendi.

2. Vnde elicitur principium generale nec infoecundum: in quocumque pacto adest respectus

spectus qualitatum personalissimarum vel quoad promittentem vel quoad accipientem vel quoad vtrumque simul: illud pactum tribuit obligationes personalissimas vel iura personalissima, vel vtraque simul.

3. Clarum itaque est, domino non competere ius seruum alienandi, venum dandi, commodandi, locandi: nisi in id consenserit seruus vel in pacto seruitutis vel ex postfacto.

§. 640.

Porro quaeritur: an liberi ex contubernio serui et ancillae nascantur serui?

Parentibus seruis in sobolem nihil competit nisi patria potestas. Haec transit in dominum (§. 637.). Ultra id, quod seruo competit, nihil adquirere potest dominus.

1. Ergo nemo nascitur seruus.

§. 641.

Tandem quaeritur: an ius vitae et necis domino in seruum competat?

Si seruus est refractarius, domino competit ius eum puniendi (§. 571.). An ius puniendi simul contineat ius vitae et necis, inquirendum. *Ius vitae et necis* est ius, ultimo supplicio puniendi subditos quales. Continet igitur ius in vitam alterius. Sed ex ipso seruitutis conceptu non colligi potest, seruum transtulisse in dominum ius in vitam eo casu, si obligationi suae non satisfecerit. Ergo domino non competit ius vitae et necis.



I. Competit tamen domino qua laeso facultas cogendi seruum qua laedentem ad interuentionem usque. Verum ius illud non est *ius sociale*; sed *ius naturale* hostis in hostem, quod et seruo ipsi competit eo casu, si dominus faeuit in seruum.

## §. 642.

Fuere antiquitus et existunt hodiernum serui, quorum domini et alimenta, si lubet, denegandi, et vitam, quum placuerit, demendi seruo, sibi fas esse iudicant, adeo ut serui personam hominis exuentes rerum propriarum naturam induant, et rerum iure aestimentur.

## §. 643.

Eiusmodi seruitus

1. non est societas, quia non continet commune bonum, nec

2. pacto niti potest. Consentire enim, ut vita miseris malorum omnium formidolosissimis perpetuo exposita sit, non voluntatis; sed furoris est.

3. nec intra sphaeram iuris naturalis continetur: quod, quum eius obiectum non sit nisi ens iuribus humanis instructum, respuit entia, quae iuribus hominis carent, suo destituuntur, laedi nequeunt, et in quos vno verbo nihil nefas est.

I. Ex captiuitate deuictorum hostium illud procul dubio originem traxit, in quos ante pacta omnis violentia iusta.

CAPVT

## CAPVT IV.]

## I V S F A M I L I A E

SEV

## SOCIETATIS DOMESTICAE.

§. 644.

**C**onsiderauimus societatem coniugalem, paternam, herilem, secundum ea, quae ex notione cuiuslibet separatim colligi possunt. Iungas

1. societatem coniugalem paternae, vel
2. coniugalem herili, vel
3. paternam herili, vel
4. coniugalem paternae et herili simul: nascetur societas ex dictis simplicibus composita, quae vocatur *familia*, seu *domus* seu *societas domestica*. Est igitur *familia* societas ex coniugali, paterna et herili, vel saltem ex binis earum composita.

i. Quando addis societatem herilem matrimoniali; supponendum, posteriorem mutuo consensu coniugum esse constitutam, vt inde nascatur societas illa composita seu familia.

M 3

§. 645.

## §. 645.

Familiae socii sunt pater materque familias, filii filiaeque familias, famuli et ancillae aut serui seruaeque familias. Postremi quoque appellantur *domestici*.

## §. 646.

Finis familiae communis est ex fine matrimonii, societatis paternae et herilis compositus. Itaque in eo constat, ut singuli societatum simplicium fines ita connectantur, quo alter per alterum commodius obtineatur. Atque hoc est, in quo vertitur *salus domestica*.

## §. 647.

Familia igitur est societas composita minor et inaequalis. Eius imperantes sunt pater et mater familias, qui inde vocantur caput familiae: quorum iussu reguntur subditi familias, qui sunt liberi familias et famuli aut serui.

## §. 648.

Patri et matri familias naturaliter in domo commune est imperium (§. 597. et 620.)

## §. 649.

## §. 649.

Ex hoc imperio domestico deriuatur ius patris et matris familias, dirigendi pro arbitrio suo communi actiones liberorum et famulorum seruorumue ad salutem domesticam obtinendam, ius leges familiares ferendi, et ius refractarios liberos, famulos, seruos puniendi.

## §. 650.

Huic imperio domestico respondet,

1. in filiis filiabusque familias obligatio ad promouendam salutem societatis matrimonialis et vtilitatem parentum per operas famulorum seruorumue;


2. in famulis seruisue obligatio ad promouendam operis suis non tantum heri heraeque qua talium vtilitatem; sed simul societatis tum matrimonialis tum paternae salutem.

## §. 651.

Ex consensu mutuo patris matrisque familias in societatem herilem deriuatur nova patris matrisque familias in se inuicem obligatio ad promouendam rei domesticae per liberos et famulos seruosue salutem.

## §. 652.

Exortis familiis ius succedendi ab intestato et ex testamento sensim inualuisse, facile largimur. Interim hoc ius omne ex solo societatis matrimonialis, paternae aut etiam familiae conceptu demonstrari non potest. Itaque vt constitueretur, ab initio pactis opus fuit: post in consuetudinem et in legem familiae tacitam eo facilius abiit; quo magis familiarum vicinarum omnium intererat, ne hereditas defunctorum parentum familias praeda vel seruorum vel cuiusuis fieret occupantis.



## IVRIS NATVRALIS

## LIB. III.

## IVS CIVITATIS

## SEV

## IVS CIVILE VNIVERSALE.

## CAPVT I.

## IVSCIVITATIS IN GENERE.

## §. 653.

**O**mnium hominum idem finis, conser-  
vare et augere perfectiones suas (§. 17.).  
Dum conseruationi student; *securitatem*  
quaerunt (§. 465.); dum incrementa perfe-  
ctionum persequuntur; ad abundantiam om-  
nium eorum, quae ad vitae necessitatem,  
commoditatem et iucunditatem pertinent,  
id est ad vitae *sufficientiam* adspirant. Se-  
curitas et sufficientia iunctim efficiunt *sa-*  
*lutem*. Omnium itaque votorum et labo-  
rum meta vltima salus,

## §. 654.

Studium salutis singulos homines per fi-  
nes subordinatos tamquam per media in so-  
cietates, societates simplices in familias coe-  
git. Sed quum singulae familiae hanc coniu-  
ctionem summo fini obtinendo reperirent

M 5

longe

longe insufficientem: plures familiae vnitis viribus et feliciori successu *communem salutem* directo petere coeperunt.

§. 655.

Ad obtinendum eiusmodi communem finem plures familiae, quae inter se in statu mere naturali viuunt, tamquam personae morales noua pacta condere nouasque societates inire possunt (§. 547.). Et pactum tale, quo plures familiae ad communem salutem sese coniungunt, *pactum vnionis* vocatur.

§. 656.

Plures familiae per pactum vnionis nouo societatis vinculo iunctae collectiuo *populi* nomine veniunt, et vel commune statuunt imperium, vel minus. Illud nouo fit *pacto subiectionis*, et efficit ciuitatem. Hoc in solis subsistit vnionis terminis, et efficit *anarchiam*, societatem plurium familiarum aequalem.

§. 657.

*Ciuitas* seu *respublica* est societas plurium familiarum, quae communis salutis causa sub vno imperio degunt.

§. 658.

Singuli ciuitatis locii vocantur *ciues*; inque iis *subditi*, qui communi imperio subsumunt; *imperans*, qui illud exercet; speciatim

tim *summus imperans*, quatenus nulli iterum alterius imperio subiectus est.

§. 659.

Non ciues quatenus inter ciues commorantur, *peregrini*, quatenus extra ciuitatem considerantur, *exteri* dicuntur. Horumque intuitu ciuitas, quatenus ceu persona moralis in statu naturali degit, *gens* adpellatur.

§. 660.

Ad ciuitatem adplicari potest ius sociale externum et internum. Illud, quod iura et obligationes gentis erga externos tractat, *ius gentium* efficit; hoc, quod iura et obligationes ciuium inter se inuicem docet, *ius ciuitatis*, siue *ius ciuile vniuersale*.

§. 661.

Iura et obligationes ciuium inter se inuicem vel sunt subditorum tantum inter se inuicem, vel concernunt ipsum illum summi imperii nexum, qui inter imperantem et subditos intercedit. Ex his *ius publicum*, ex illis *ius priuatum* consistit.

i. Hinc omne ius ciuile vel publicum vel priuatum.

§. 662.

Principium omnis iuris ciuilis est: *ut tum toti ciuitati, tum singulis ciuibus a se inuicem tribuatur, quod suum est.*

§. 663.



## §. 663.

Principium iuris publici vniuersalis: vt

1. *summo imperanti a subditis,*

2. *subditis ab imperante suum tribuatur.*

## §. 664.

Principium iuris priuati vniuersalis: vt  
*singuli subditi sibi inuicem suum tribuant.*

## §. 665.

Ex quibus omnibus, vt ad specialiora  
paremus viam, prius in naturam ciuitatis  
penitius erit inquirendum.

## §. 666.

Omnis ciuitatum natura aestimanda po-  
tissimum ex summo imperio, cui ad salu-  
tem publicam se subiecerunt plures fami-  
liae (§. 562. 654.). Ex quo statim liquet:  
ciuitatem esse societatem inaequalem (§.  
569.), non vero *despoticam*, sed ex commu-  
ni salutis publicae sine *limitatam* (§. 572.).

## §. 667.

Nimirum plures familiae, quae ante pa-  
ctum vnionis in statu mere naturali vixe-  
rant, etiam post hoc pactum, praeter id,  
quod ex illo sociale est, adhuc in statu na-  
turali et aequali degunt. Nec proinde quis-  
quam in liberam talem plurium familiarum  
societatem vllum ius habet, nisi negatiuum,  
vt non laedatur ab illa (§. 261.). Ius adfir-  
matium nemo habet, nisi iusto facto quae-  
situm;

fitum; et ipsi quidem focii nullum, praeter id, quod ex pacto vnionis intelligitur, ius singulorum sociorum aequale; extranei plane nullum (§. 547.).

§. 668.

Iusto autem facto ius in liberam talem plurium familiarum societatem adquiri potest; sed non alio, quam quo generatim in statu naturali homo in hominem ius iuste acquirit, i. e. pacto (§. 433.).

§. 669.

Hinc

1. nulla ciuitas constitui, aut in liberas familias ciuile imperium adquiri potest, nisi praeter pactum vnionis accedat pactum subiectionis, quod ineunt plures familiae pacto vnionis iam vnitae; tamquam vna persona moralis, siue *populus*, cum ea persona, quae imperans constituitur; siue in ipso vnionis pacto iam comprehensa, siue extra societatem illam familiarum, quae iam paciscitur, existat;

2. Omne ius summi imperantis ex pacto subiectionis et ex voluntate populi est, vltra hanc nullum; adeoque

3. Conditiones pacto adiectae imperantem stringunt;

4. Quidquid pactum in genere verum, iustum validumque, vel nullum, iniustum et inualidum reddit; idem quoque circa pactum subiectionis efficit. Demum

§. ge-

§. generatim imperans et populus ratione pacti subiectionis ceu duae personae in statu naturali paciscentes considerari debent.

§. 670.

Omne pactum subiectionis constituit civile imperium; id est subditi concedunt summo imperanti ius dirigendi actiones suas ad salutem publicam. Hinc

1. quatenus constat, velle summum imperantem, ut hoc vel illud salutis publicae causa fiat vel non fiat; eatenus subditi non amplius libertate gaudent naturali, quid velint nolintue, agendi vel omittendi, nisi qua in specie pacto subiectionis sibi reservata fuerit;

2. Contra quatenus aut nulla salutis publicae ratio intercedit, nec de voluntate imperantis constat, aut expresse in re quadam reservata subditis libertas naturalis; eatenus etiam in ciuitate perdurat status, libertas, ius atque obligatio naturalis.

§. 671.

Intelligitur inde *status civilis*, seu ille subditorum status, quo per voluntatem imperantis, salutis publicae causa declarata, non amplius libertate actionum naturali videntur. Et sic adparet simul, varium dari statum civilem: prouti varia datur voluntas

tas imperantium, variaque libertatis naturalis reservatio.

§. 672.

Quamquam vero omnes subditorum actiones, nisi pacto subiectionis exceptae, civili imperio obnoxiae sint; despoticum tamen illud non est, sed sua natura limitatum ita, ut aliter, quam ad salutem publicam exerceri nequeat. Vnde iterum

1. voluntati quidem imperantis committendum, quid ad salutem publicam conducere illi videatur; nisi modus etiam hac in re pacto subiectionis adiectus fuerit;

2. nunquam autem pro lubitu sine vlla salutis publicae ratione vel plane in manifestum detrimentum publicum exerceri fas est summum imperium.

§. 673.

Omnes itaque subditorum actiones sub ista restrictione voluntati imperantis, quatenus ea ad salutem publicam declarata est, adcommodandae sunt. Salus publica vero in quo consistat, et quid in collisione salutis publicae ac privatae statuendum sit, hic propius disquiremus.

§. 674.

Quidquid commune omnium civium et totius civitatis bonum inuoluit; siue directe, siue per indirectum, siue mediate, siue immediate; id ad salutem publi-

publicam pertinere, nemo dubitabit. In specie ea sufficientiam complectitur ac securitatem tum totius ciuitatis, tum omnium et singulorum ciuium. Quae postrema singulorum ciuium salus, quatenus cum salute omnium, vel totius ciuitatis comparatur, in specie *salus priuata*, et haec in specie tunc *salus publica* vocatur.

## §. 675.

Quoad fieri potest, obligatur imperans ad curandam simul singulorum omniumque ciuium et totius ciuitatis salutem. Nec proinde contra priuatam subditorum salutem quidquam statuere fas est, quamdiu salua illa subsistere salus publica potest.

## §. 676.

Quodsi vero cum salute publica priuata collidit; adeo vt salua altera altera obtineri nequeat; bonum maius praefarendum minori, hinc

1. salus priuata in collisione cedere debet publicae; et
2. sufficientia securitati.

## §. 677.

Ceterum salus publica plurium familiarum finis perpetuo durans est, dum familiae, sarrogatis in locum decedentium semper nouis personis, continuantur, adeoque et status earum, quo perfectiones suas conseruare et augere possint, perdurat.

## §. 678.

## §. 678.

Hinc pactum vnionis sua natura perpetuum est, et eatenus quoque ciuitas societas perpetua; quae, surrogatis semper in locum decedentium aliis, perpetuo continuatur.

## §. 679.

Porro naturae quidem ciuitatum conuenit, vt plures sub se complectantur familias (§. 655.). Eo ipso vero non excluduntur:

1. tum singulas quoque personas, tum simplices societates minores hic pro sociis haberi;

2. quin etiam praeter familias ac simplices in statu naturali cognitae societates hic alias dari.

## §. 680.

Nimirum praeter societates illas ad statum familiae pertinentes, quas supra iam in statu naturali considerauimus (§. 595. sq.), dari possunt in ciuitate societates aliae integrarum familiarum compositae; quae, quatenus in statu ciuili considerantur, atque finem colunt communi ciuitatis fini subordinatum, *societates ciuiles* vocantur, sigillatim *collegia*, quarum socii singulae personae sunt, *uniuersitates*, quae ex pluribus familiis consistunt.

N

§. 681.

## §. 681.

Omnes autem societates, ex quibus ciuitas composita est, siue ad statum familiae pertinentes, siue ciuiles; siue simplices, siue compositae; minores maioresue, in ciuitate vnum constituunt, et tum qua societa-tes ac personae morales, tum qua singuli ho-mines statum ciuilem colunt, vni supremo fini, vni communi imperio sunt subordina-tae. Sin secus, vna non est respublica.

## §. 682.

Eadem ratione omnes singulorum ciui-um, familiarum, collegiorum, vniuersita-tum possessiones, quatenus ad vnam ciuita-tem pertinent, pariter vnum quoddam effi-ciunt. Quumque tota ciuitas ceu persona moralis ipsa possidere et acquirere possit; vniuersa illa pars orbis terrarum, quae ad vnam gentem pertinet, eius *territorium* vocatur.

. i. Vnde simul quodammodo intelligitur principium: quidquid in territorio, simul de territorio est.

## §. 683.

Demum ex varietate eorum, quae muta-bilia in ciuitate occurrunt, varius rerum-publicarum *status* intelligitur; veluti ex ter-ritorio

ritorio maiore vel minore, a superioris mitiorisue climatis, maritimo vel mere terrestri; ex conditione civium frequente vel infrequente, locuplete vel paupere; item ex religione, vicinitate, cet.

1. Primus seu originarius cuiusque civitatis status determinatur ex singulis circumstantiis, in quibus oritur primum civitas, veluti quo loco sedem primam figunt, quo numero conveniunt, reliqua. Posthaec novis factis, ceu occupatione, accessione, migratione, bellis pactisque, siue generatim novis vicissitudinibus pristinus reipublicae status mutari potest; adeo ut praesens plerumque cuiuslibet civitatis status non ex primaevo tantum eius ortu, sed ex vicissitudinibus quoque subsequutis repetendus sit.

2. Ex varietate status reipublicae salus eius publica haud parum variatur, prouti politica, hoc vel illud salutis huius illiusue status reipublicae magis minusue convenire, docet.





## CAPVT II.

## IVS PVBLICVM VNIVERSALE

## TIT. I.

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS  
CIRCA NEXVM IMPERII CIVI-  
LIS IN GENERE.

## §. 684.

**N**exus summi imperii, qui inter imperan-  
tem ac subditos intercedit, vniuersum  
efficit ius publicum (§. 661.). Vnde hoc  
in duas partes abit, quarum altera docet:  
quaenam sint summi imperii iura, et in quo  
circa illud consistat tum imperantis tum  
subditorum suum; altera, quomodo sua  
quisque iura, quae huc pertinent, si tur-  
bantur, prosequi possit (§. 234.).

## §. 685.

*Imperium ciuile generatim in iure dirigen-*  
*di actiones subditorum ad salutem publi-*  
*com consistit (§. 670.). Diriguntur autem*  
*actiones subditorum ad salutem publicam, dum*  
*curatur id fieri, quod ad eam conducit; non*  
*fieri, quod eam impedit. Eaque cura, qua-*  
*tenus*

tenus iure ciuili imperii geritur, vocatur *administratio reipublicae*.

## §. 686.

Quotuplici igitur modo ad conseruandam promouendamue, aut ad turbandam impediendamue salutem publicam vergere possunt actiones subditorum; in tot diuersas imperium ciuile species commode distribuitur, adeoque tot singula sub se complectitur iura, quae figillatim spectata *regalia*, seu *iura maiestatica* vocantur.

I. Quumque salus ciuitatis tum ratione exterorum, tum ratione suorum ipsius ciuium considerari possit; intelligitur simul diuisio administrationis reipublicae in *externam & internam*, regaliumque siue iurium maiestaticorum in *transeuntia et immanentia*.

## §. 687.

Omnis administratio reipublicae in eo versatur: vt

1. determinetur, quid ad salutem publicam fieri vel non fieri debeat;

2. vt reuera illud fieri vel non fieri curetur.

Illud declarata voluntate sua summus imperans determinat; hoc cum iure cogenditur; id est ius habet ferendi leges (§. 570.) seu *potestatem legislatariam*, et *ius* quoque *eas exsequendi*.

## §. 688.

Sola summi imperantis voluntate determinatur, quid ad salutem publicam a subditis fieri vel non fieri debeat (§. 568.). Ea-que voluntas quatenus, ut cognosci possit a subditis, efficitur, hos perfecte obligat, si-ve omnibus subditis actionum normam praebeat, siue singulis, quid faciendum, non faciendum, suppeditet.

## §. 689.

Voluntas summi imperantis, quatenus ex huius arbitrio perfecte subditi obligentur, semper *legem positivam* efficit (§. 96. 108.), et quidem *legem* in specie sic dictam, si genus actionum per eam determinatur; *iussum mandatumue*, si singularis tantum actio quaedam.

## §. 690.

Tum legibus, tum iussis mandatisue summus imperans actiones subditorum ad salutem publicam dirigendi ius habet.

## §. 691.

Declaratur voluntas aut expressis verbis, aut factis tantum, quatenus ex his voluntas colligi potest. Quocumque modo declarata imperantis voluntas ut *vim legis habeat*, siue ut tanquam lex subditos obliget, requiritur, ut cognosci possit a subditis, vera id velle imperantem.

## §. 692.

## §. 692.

Actus, quo efficitur, vt subditi cognoscere possint voluntatem imperantis expresse pro lege declaratam, *promulgatio legis* (§. 230.), promulgata vero *lex scripta*; contra lex, quae ex tacita imperantis voluntate colligitur, *non scripta* vocatur.

## §. 693.

Lex scripta omnes subditos, quibus promulgata est, obligat, atque omnes proinde actiones eorum secundum illam imputantur. Ultra promulgationem nec obligationem nec imputationem parit.

1. Hinc omnis promulgatio, quae semper verbis fit, siue viva voce, siue scriptura adhibita, ita fieri debet, vt omnibus et singulis subditis lex innotescere possit, et nemini itaque subditorum, nisi sua ipsius culpa, incognita maneat.

2. Subditus, qui sua ipsius culpa legem promulgatam non cognouit, ignorantia tali vincibili ab obligatione et imputatione legis non liberatur; sin praeter culpam suam, merito liberatur.

3. Omnis promulgatio publice fit, hinc scripta lex vel probatione non indiget, vel facillima probatu est.

## §. 694.

Actiones subditorum scripta lege non determinatae determinantur lege non scripta,

N 4

qua-

quatenus ex factis summi imperantis constat, quod tacite velit aliquid pro lege servari. Cuiusmodi tacita voluntas tunc potissimum deprehenditur, si qua actio ceu iusta vel iniusta, siue ceu hanc illamue obligationem pariens saepius a subditis eodem modo aestimatur, sciente nec contrarium statuente summo imperante; id quod *consuetudinem* efficit.

## §. 695.

Sic siue scripta siue non scripta lege summus imperans aut firmat modo legem naturalem, aut restringit naturalem libertatem: dum ad salutem publicam iubet agere, ad quod lege naturali nulla obligatio; vel prohibet, quod lege naturali non vetitum.

## §. 696.

Vtroque casu nova positiva subditorum obligatio a sola summi imperantis voluntate ad salutem publicam declarata pendet.

## §. 697.

Hinc ius simul est imperanti, nova cum actione motiva connectendi, scilicet tum mala consecretaria, siue *poenas*, tum bona consecretaria, siue *praemia* statuendi, iisque firmandi tum naturales tum mere positivas subditorum obligationes.

## §. 698.

## §. 698.

Ius quoque soli imperanti est, dubia forte legis verba, quae diuerso modo explicari poterant, interpretandi. Qualis *interpretatio authentica* reuera noua legislatio est, adeoque subditis non competit.

## §. 699.

Demum soli quoque summo imperanti ius est, mutandi iterum leges positiuas declarata aliter voluntate, dum haec ad salutem publicam forte melius adcommodatur, vel mutato forte statu ciuitatis (§. 683.) aliter explicanda, vel in collisione exceptio a lege statuenda est.

## §. 700.

Sic generatim quidquid semel vim legis habet, eandem perpetuo retinet, donec contraria summi imperantis voluntas constet. Hac vero aliter declarata tum mutari et aboleri potest tota lex intuitu omnium subditorum; et tunc semper *lex posterior priori derogat*; tum certum indiuiduum a lege eximi potest *dispensatione priuilegioue*.

## §. 701.

Haectenus quomodo voluntate summi imperantis determinetur, quid ad salutem publicam fieri vel non fieri debeat a subditis, siue quomodo potestas legislatoria exerceatur,

tur, considerauimus (§. 688. 1q). Nunc quid ad eius *executionem* fas sit summo imperanti, inquirendum.

## §. 702.

Ius est summo imperanti curandi, vt legibus mandatisque suis reuera satisfiat a subditis (§. 687.). Hoc vt obtineatur, necesse est:

1. vt inuigiletur actionibus subditorum lege determinatis; et vt cognosci adeo possit: an reuera voluntati imperantis accommodentur, nec ne?

2. vt cogantur, qui legi satisfacere detrectant, ac puniantur, qui legem sanctione poenali munitam violarunt.

## §. 703.

Vtrumque ipse solusque imperans efficere non potest. Ius autem, quod ad finem habet, ius quoque inuoluit ad media eum in finem necessaria. Hinc alias recte constituit personas, quae suo nomine legibus et iussibus suis inuigilent, suaeque auctoritate media cogendi adhibeant ad tuendas leges.

## §. 704.

Personae tales, quae qualemcumque partem administrationis reipublicae auctoritate summi imperantis gerunt, vocantur *officiales*. Ipsaque eiusmodi pars administrationis reipublicae personae cuidam auctoritate

ritate summi imperantis demandata *munus publicum* adpellatur.

§. 705.

Summus imperans ius habet deferendi munera publica, iique, quos e subditis denominat officiales, obligantur ad ea suscipienda.

§. 706.

Quatenus autem munus publicum labores tempusque consumit, ut alimentis sibi quaerendis vel plane non vel non satis amplius vacare possit officialis; eatenus iure poscit, ut a ciuitate summoque imperante alatur.

§. 707.

Officiales susceptum munus ex voluntate imperantis gerere tenentur; quem in finem, quid agere debeant, summus imperans praescribit, utque officio suo satisfacturi sint, specialem cautionem, in primis iuratoriam, sub initio suscepti muneris recte ab iis exigit imperans:

§. 708.

Quidquid officialis *vi officii* sui, id est in rebus a summo imperante sibi demandatis, modoque sibi praescripto, peragit; id nomine et auctoritate summi imperantis agit, adeoque eadem vi et efficacitate, quam si ipse ageret imperans. Unde et obsequium eatenus officiali a subditis debetur.

§. 709.



## §. 709.

Quamprimum vero vel extra limites sibi demandatos, vel vltra modum praescriptum vagatur officialis; non cessat tantum eius auctoritas obsequiumque illi debitum; sed violat quoque ius maiestaticum, quod non demandatum sibi adserit.

## §. 710.

Vnde officiales, quum in perpetua a summo imperante dependentia maneant, sub summa eius *inspectione* sunt, siue haec ab ipso imperante exerceatur, siue iterum aliis ab eo committatur. Sicque subditis ius est querelas contra officiales proferendi; in quas summus imperans inquiri curat, et, si meretur, remoueri, quin puniri etiam officialem limites officii transgressum.

## §. 711.

Ex omnibus hisce liquet, quomodo administratio reipublicae exerceatur (§. 687. sq.). Nunc in quibus *obiectis* versetur, specialius disquiramus.

## §. 712.

Omnis administratio reipublicae ad salutem publicam tendit (§. 654.), hoc est primario ad securitatem, dein ad sufficientiam quoque (§. 653.). Ad vtrumque igitur finem summus imperans tum leges ac man-  
data

data sua, tum executionem eorum dirigendi ius habet.

§. 713.

Securitas externa requirit vim, quae vi opponi possit, si qua forte vis alia minetur mala ciuitati inferenda.

§. 714.

Eum in finem opus est plurium subditorum viribus, quae ad iussum imperantis se coniungere, ac violentiam, quantum opus ad mala a ciuitate et ciuibus arcenda, coniungere queant, siue *militia* aut *manu militari*.

§. 715.

Ius itaque summo imperanti est, constituendi militiam, atque ordinandi omnia ea, quae necessaria sunt, vt per militiam salus publica obtineatur.

1. Veluti *seliguntur milites*, iique tamen *alendi* etiam, quatenus alimentis quaerendis ob militiam vacare non possunt (§. 706.);

2. *Modus gerendae militiae* praescribitur; alii aliis praeficiuntur et *subordinantur*; *armamentaria*, *fortalitia* conduntur; *praesidia* distribuuntur, *excubiae*, reliq.

§. 716.

Securitas interna requirit, vt a singulis quoque ciuibus laesiones aliorum arceantur.

Quem

Quem in finem quum prius, quid sit cuiusque suum, et an adsit reuera laesio, constare, hinc lites forte de suo inter plures natae prius decidi debeant; summi imperantis est curare, vt lites de suo subditorum decidantur, et reuera, quod suum est, cuique tribuatur. Quae pars administrationis reipublicae in specie *potestatem iudiciariam* efficit.

I. Potestate itaque iudiciaria imperans *magistratus* et *iudicia* constituit, s. officiales, qui suo nomine ius dicunt, et suum cuique tribui curant, s. iustitiam administrant. Iisdem leges fert, quo modo et ordine in decidendis litibus atque exsequendis iudicatis versari debeant. Generatim per magistratus potissimum inuigilari curat custodiae legum sanctionumque poenaliu.

§. 717.

Demum quidquid securitatem siue internam siue externam turbat vel impedit; id remouendi ius est summo imperanti.

I. Vnde praesertim deriuandum ius restringendi libertatem naturalem, quod ad bella attinget ac societates ineundas. *Cessat* enim merito in statu ciuili *ius belli naturale*, in cuius locum surrogantur iudicia. Et iure imperans non tolerat societates, nec *collegia* nec *uniuersitates*, nisi suo praescitu et consensu initas, easque

et easque semper sub suprema sua ad salutem publicam directione continuandas.

§. 718.

Ad sufficientiam vitae ceu alterum salutis publicae caput requiritur, ut cuique subdito se perficiendi, quanta fieri potest, facilitas praebetur. Eoque nomine summo imperanti ius est curandi omnia, quae ad perfectionem subditorum tum quoad animam, tum quoad corpus, tum quoad statum eorum in genere spectant.

§. 719.

Quod ad *animam* attinet, intellectus quidem imperium non patitur. Sed curari tamen potest imperii iure:

1. ut promoueatur facilitas quaerendi augendique perfectiones animae;
2. ut impediatur actus externi, quos alia, quam quae imperanti placet, opinio intellectus producit, quatenus salutis publicae iis noceri possent.

§. 720.

Hinc ut scientiis artibusque tum singuli ciues perfectiores fiant, tum vniuersae civitatis salus promoueatur, ius est summo imperanti: ordinandi *scholas* et *academias*, *magistros*, *doctores*, *professores*; privilegiis praemiisque ad studia et artes reipublicae salutare. alliciendi subditos; cohibendi

con-

contra publicam rerum nociuarum propagationem.

§. 721.

Pariter vt religionis cultu quoque publica salus promoueat; conscientia quidem et cultus internus sua natura non fert impetium, sed *ecclesia* siue societas hominum vnam religionem colentium proprie societas aequalis est. Interim quatenus ecclesia in statu ciuili ceu collegium consideratur, summus imperans, ne sub praetextu religionis in detrimentum publicum quid fiat, iure summi imperii potest.

1. praescribere, quaenam religio publice colenda sit; et vetare contra tum publicum aliarum religionum cultum, tum quosuis priuatos religionis nomine instituendos coetus; licet et tolerare possit religionem, quam reipublicae innocuam iudicat, et emigrare alias merito patiatur subditos, quorum religionem tolerare non vult;

2. ordinare personas ad cultum externum necessarias;

3. leges ferre de modo et ordine in cultu externo seruando, quatenus ad salutem publicam necesse est, nec conscientiae libertati aduersatur.

1. Quae omnia efficiunt ac determinant *ius imperantis circa sacra.*

§. 722.

§. 722.

Quod ad *corpus* attinet, iure summi imperii curatur, quidquid ad sufficientiam in victu et amictu pertinet; *opificiis, commercio, sanitati* legibus priuilegiisque, prouti ad salutem publicam videtur conducere, prospicitur.

§. 723.

Denique quod ad *statum subditorum in genere* attinet, vti muneribus publicis iam distinguuntur quidam subditi a reliquis, ita summus imperans, generatim *fons* omnium in ciuitate *honorum et dignitatum*, ius habet ciuiles eiusmodi dignitates atque honores, cui placet, conferendi, eosque hereditarios etiam, si lubet, statuendi.

§. 724.

Sic quidem, in quot innumera iura maiestatica se diffundat vniuersa reipublicae administratio, satis liquet. Vnicum vero adhuc superest ius maiestaticum, sine quo reliqua fere omnia ad effectum deduci vix poterunt.

§. 725.

Nimirum militiam ad sustentandam (§. 715.), officiales ad alendos (§. 706.), innumeraque alia ad salutem publicam necessaria *sumtus* requiruntur publico nomine  
 O im-

impendendi. Vnde supremum summo imperanti ius est poscendi a subditis, ex quo sumat istas impensas.

§. 726.

**Hoc iure**

1. quidquid in territorio deprehenditur, necdum in dominio alicuius priuato est; id vel dominio ciuitatis et imperantis adeo administrationi subiicitur, vel ita saltem sub summo imperio continetur, vt restringere libertatem occupandi naturalem, et vindicare sibi quamdam ex tali re utilitatem possit;

2. quidquid subditi in dominio tenent; ex eius redditibus vt quamdam partem ad impensas publicas contribuant, iure meritoque poscit imperans;

3. emigrantium ciuium bonis iure aliquid detrahit cet.



TIT.

## TIT. II.

DE

SPECIALIBVS IVRIBVS ET  
 OBLIGATIONIBVS  
 PRO DIVERSITATE LEGVM  
 FVNDAMENTALIVM  
 FORMARVMQVE REIPVBLICAE.

## §. 727.

**H**actenus in naturam imperii ciuile in genere inquisiuimus, dum supposuimus modo generatim pactum subiectionis, quod in genere ad salutem publicam imperium ciuile constituit (§. 685. sq.). Nunc si considerauerimus, *quid pacto subiectionis variari possit*, ad specialiora progrediemur.

## §. 728.

Generatim omne ius summi imperantis originetenus ex pacto esse, iam supra obseruauimus (§. 669.). Ipsum vero tale pactum, quod inter populum et imperantem de summo imperio initur, intuitu eius ciuitatis, quam respicit, *lex imperii fundamentalis* vocatur.

Vnde 1. lex imperii fundamentalis non confundenda cum lege positua, quae a so-



la imperantis voluntate pendet, solosque subditos stringit (§. 689. sq.); sed ceu verum pactum subiectionis solum ex natura pacti aestimanda, et imperantem non minus ac populum tamquam duos pacificentes obligat (§. 669.).

2. Lex fundamentalis in omni ciuitate necessaria. Nec vna pars inuita altera ab illa recedere, vel quidquam in ea mutare potest. Vtriusque autem partis nouo consensu adeoque nouo pacto pristina lex fundamentalis mutari, aboleri, emendari, et quocumque modo aliter determinari potest; adeoque,

3. Plures sic in vna ciuitate dari possunt leges imperii fundamentales, quarum semper posterior derogat priori, quatenus pacto posteriori aequo valido pactum prius mutare licet (§. 449.).

4. Quumque lex fundamentalis ceu pactum in expressam quoque ac tacitam dispesci possit (§. 358.); intelligitur inde, quomodo ex posteriori nascatur *observantia*, ceu norma iurium maiestaticorum ex pacto tacito inter populum et imperantem stabilita. Eoque sensu eadem inter observantiam et consuetudinem (§. 694.), quae inter legem fundamentalem et positivam, intercedit differentia.

## §. 729.

In prima quaque lege imperii fundamentali constituitur ciuile imperium, idque ita omni modo determinari illa oportet, vt sufficiat ad constituendam vnam indiuiduam existentem ciuitatem.

## §. 730.

Hinc ad minimum in omni tali lege fundamentali necesse est, vt

1. constituatur summum imperium, et
2. determinetur persona imperantis.

Atque eatenus conueniunt omnes omnino primae cuiusque ciuitatis leges fundamentales.

## §. 731.

Variari autem potest vtraque illa tum ipsius imperii tum personae imperantis determinatio: siquidem vtraque et in diuersis ciuitatibus, et in vna ciuitate diuerso tempore, diuerso modo fieri potest.

## §. 732.

Primum nempe quod ad ipsius imperii determinationem attinet, vel generatim illud modo, vti haecenus suppositimus, ad salutem publicam in genere imperanti committitur, adeoque soli eius iudicio et voluntati, quid ad salutem publicam fieri debeat, relinquatur; vel adhuc specialius imperium determinatur.

O 3

Huic

Huic enim in lege fundamentali modum quemcunque praescribi, quin observantia etiam (§. 728.) limites constitui posse, nullo dubium (§. 669.).

## §. 733.

Ex omni imperii determinatione certi *limites imperii* oriuntur. Quare quum commune civile imperium sua natura limitatum fit (§. 672.): eiusmodi *limites*, quatenus ad salutem publicam tantum locum habet imperium civile, *naturales* vocantur. Quidquid vero praeterea additur ad magis adhuc determinandum civile imperium, *limites arbitrarios* efficit. Sicque *imperium*, quod ne naturalibus quidem limitibus adligatum, *despoticum*; quod limitibus naturalibus tantum, non arbitrariis circumscriptum, *absolutum*; quod praeter naturales etiam arbitrariis limitibus circumscriptum, *restrictum* vel *limitatum in specie* dicitur.

## §. 734.

Variantur itaque leges imperii fundamentales, prouti vel naturales tantum, vel arbitrarios praescribunt imperii limites, ipsumque adeo imperium vel absolutum vel restrictum efficiunt.

Despoticum imperium proprie non est imperium civile (§. 666. 672.); nec populus ideo imperio despotico subiectus proprie civitatem constituit.

## §. 735.

§. 735.

In absoluto imperio

1. subditi perfecte obligantur ad omne id, quidquid summus imperans ad salutem publicam praescribit;

2. quid ad salutem publicam conducat noceatue, iudicio et voluntati imperantis committitur (§. 672.).

§. 736.

E contrario itaque restringitur civile imperium:

1. dum excipitur aliquid a iure illo dirigendi actiones subditorum;

2. dum non solum iudicio et voluntati imperantis, quid ad salutem publicam conducat, relinquatur.

§. 737.

Quatenus subditorum actiones a summo imperante non diriguntur; eatenus illi libertate naturali utuntur (§. 670.). Hinc dum ex parte populi in lege fundamentali vel per observantiam actiones quaedam subditorum a directione imperantis eximuntur; libertas illis naturalis reservatur; et vicissim quatenus haec reservata subditis in lege fundamentali vel per observantiam; eatenus nec imperanti ius est, dirigendi eiusmodi actiones, nec subditis obligatio; parendi imperanti.

## §. 738.

Sic referuari subditis potest libertas: vt non fas sit tunc imperanti in re tali sub reservatione ista comprehensa praecipere, quod lege naturali non praecipitur, vel vetare, quod lege naturali non prohibetur. Qualium rerum quum innumerae possint fieri reservationes; facile adparet, in quam varios imperii limites vel ex hoc solo capite incidere possint leges fundamentales.

1. Veluti potissimum sic subditis referuari animaduertimus libertatem circa bona; circa munera suscipienda, circa militiam, religionem, emigrationem, occupationem cet.

2. Verbo quotquot cogitari possunt singula maiestatica iura; tot sui cuique certi limites poni possunt, iique adeo, vti res ipsa docet, in quavis ciuitate alii, ita vt innumerae vel ob hoc solum caput dentur ciuitatum, quae restricto imperio vtuntur, species.

## §. 739.

Sin ita restringitur ciuile imperium, vt non soli iudicio et voluntati imperantis committatur, quid ad salutem publicam conducat noceatue (§. 732.); necesse est, alius statuatur modus, quo determinari illud possit. Qualis potissimum ille est, vt  
con-

consensus populi vel totius vel quorundam ex populo siue *procerum* a summo imperante adhiberi debeat.

*Proceres imperii* generatim vocantur quidam ciues, qui, quatenus administrationem reipublicae participant, ceteris ciuibus antecellunt.

§. 740.

Idque quum iterum vel in vniuersa reipublicae administratione, vel in singulis quibusdam iuribus maiestaticis statui queat; inde intelligitur, quomodo vterque modus restringendi ciuile imperium aliquando coniungi possit; ita scilicet, vt in quibusdam tantum punctis libertatem naturalem non nisi adhibito populi procerumue consensu restringendi ius tribuatur imperanti, in reliquis absolutum ei detur imperium.

§. 741.

Quod porro ad determinationem personae imperantis attinet (§ 731.); quum indefinitum haecenus relictum fuerit: imperans vtrum persona moralis, an singula sit? quod vtrumque tamen fieri potest, prouti vel pluribus vel vni imperium defertur; iccirco necesse est, in prima lege fundamentali illud determinetur.

§. 742.

Singula quaedam persona summo imperio

rio munita vocatur *princeps*, *monarcha*, *summus imperans* in specie.

§. 743.

Persona moralis summo imperio munita vel ex singulis quibusdam ciuibus, vel ex omnibus simul sumtis consistit. Illi tunc in specie *procerum* (§. 739.), hi *populi* nomine veniunt.

§. 744.

Diuersitas ciuitatum, quae ex diuersitate personarum, quibus summum imperium delatum, oritur, diuersas rerum publicarum formas efficit. Quarum hoc sensu aliae *monarchicae* sunt, aliae *aristocraticae*, aliae *democraticae*.

§. 745.

In *monarchia* per pactum subiectionis imperium defertur singulari cuidam personae.

§. 746.

Quod dum primum fit, consensu populi siue votis ciuium (§. 577. sq.) determinanda indiuidua persona, quae primus constituatur imperans, seu *eligendus* est primus princeps.

§. 747.

Praeterea vero, quis post mortem primi illius principis in regno succedere debeat, vel in antecessum quoque lege fundamentali definitur, vel minus.

§. 748.

## §. 748.

Si nec primo subiectionis pacto nec subsequuta forte lege fundamentalis definitum : quis principi, si decesserit, successurus sit ? decedente illo perdurat quidem pactum unionis (§. 678.); extinguitur autem subiectionis pactum, atque vis legum fundamentalium hactenus conditarum. Hinc nemini tunc amplius in totam civitatem ius, donec denuo delatum; adeo, ut in pristinum statum civitas redeat, quo primum imperantem constituit (§. 667.).

## §. 749.

Lex fundamentalis, quae in antecessum definit, quis post mortem principis imperium obtinere debeat, vel novae id committit electioni, vel citra novam electionem iam consensum populi continet, ut in alium transeat imperium. Illud *regnum electitium*, hoc *successuum* efficit.

## §. 750.

In regno electitio imperans commendare quidem potest successorem, non nominare; sed solum id novae electioni relinquere debet. Nova autem futuri imperantis electio iam viuo adhuc praesente principe in antecessum institui potest; et tunc simulac princeps regens decedit, **stati-**



tim alter iam in antecessum electus eius locum occupat.

§. 751.

Quoties vero in antecessum nulla electione facta imperans decedit, nondum quidem ipso iure alter imperans, nec generatim quisquam qui ius ad summum imperium habeat, adest; nihilominus tamen non solum unionis, sed et ipsum subiectionis pactum eatenus perdurat, ut ciues inter se inuicem obligati sint ad eligendum nouum imperantem.

§. 752.

Interea quoties ille casus existit, ut nondum electo successore princeps decedat; toties, donec nouus electus, regnum imperio vacat, id est *interregnum* oritur.

§. 753.

In interregno autem manet eadem ciuitas idemque ciuilis nexus, durante quippe non unionis tantum, sed et subiectionis pacto (§.751.). Hinc necessaria quoque in interregno reipublicae administratio, in primis quod ad eiusmodi iura maiestatica attinet, quae quiescere fere nequeunt.

§. 754.

Quamobrem regni electitii lex fundamentalis non potest non simul casum interregni prospicere, ita ut definiatur in antecessum

tecessum, quomodo tunc administratio rei publicae sit instituenda. Siue autem ea interim toti iterum populo, siue proceribus quibusdam committatur; *maiestas* interimistica s. *vicaria* est, quae

1. generatim quidem omnibus maiestatis praerogatiuis gaudet, sed

2. ex delegata tantum potestate, ita ut ultra eius limites plane extendi non possit, suaeque natura

3. ad tempus tantum duret.

§. 755.

Nec aliunde, quam ex eadem lege fundamentali aestimari potest, intra quodnam tempus, et quo modo instituenda noua electio.

§. 756.

Inter eum vero, qui in electionem venit, populumque siue ipsum siue per proceres eligentem omnia ex natura pacti aestimanda, quo populus eligens personae electae imperium defert.

§. 757.

Antequam itaque electio perfecta, is, qui in electionem venit, nullum ius habet. Hinc quauis in electione nouis imperium, quod offertur electo, limitibus simul circumscribi potest, qui *capitulationis* nomine tunc insigniuntur.

§. 758.

## §. 758.

Perfecta electione electi arbitrio committendum, vtrum imperium sibi oblatum suscipere, atque capitulationem simul praescriptam inire velit, nec ne.

## §. 759.

Quodsi declinat electus, eligendus alius. Sin acceptat; eo ipso imperans est, sed capitulationi tamquam legi fundamentalis adstrictus.

Sollennitatis causa *coronatio* accedere solet.

## §. 760.

Regnum successivum est, in quo in casum decessuri principis iam in antecessum populus consensum suum praebuit transferendo in alium successorem imperio citra novam electionem (§. 749.). Id quod iterum tamen vel ita fit, vt imperium principi et in futurum eius posteris deferatur, adcoque successio tantum familiae principis tribuatur; vel vt imperium deferatur cum iure nominandi successorem. Prioris generis *successio simplex*, altera *qualificata*, et regnum huiusmodi *patrimoniale* vocatur.

## §. 761.

In regno patrimoniali princeps regens ius habet denominandi successorem; modum vero, quem in denominando successore

fore seruare debeat, ex lege fundamentali aestimari oportet.

§. 762.

Rite denominatus successor indubium ius habet in imperium; nec a populo dein excludi vel praeteriri potest.

§. 763.

Si princeps regni patrimonialis decedit, non facta successoris denominatione; tunc, quatenus in euentum familiae simul principis ius in imperium delatum, proximus ex familia succedit et resoluitur successio qualificata in simplicem.

§. 764.

Successio simplex posteros imperantis admittit. Horum vero quum plures simul esse possint et soleant; quo ordine ii ad successionem in imperio vocandi sint, necessario definiri oportet in eadem lege fundamentali, quae successionem simplicem in regno stabilit.

§. 765.

Nempe inter plures aut electio committitur principi regenti; aut ipsa lege fundamentali, quis imperio potiri debeat, definitur.

§. 766.

Priori casu iterum fere necessaria lex fundamentalis, quae definiat modum, quo voluntaria-

luntatem de praeferendo hoc vel illo declarare debeat princeps regens, quidque in casum, si voluntatem suam non declarauerit, statuendum sit.

## §. 767.

Ipsa lege fundamentali ordo successionis potissimum ita quidem definitur, ut filius semper in locum patris succedat, et sic perpetuo in descendente linea, quam diu haec durat, continuetur successio. Praeterea vero, necesse est, simul definiatur:

1. si filii ex ultimo defuncto non adsint, an et quomodo collaterales, utrum secundum gradus, an lineas, item utrum feminae quoque et ex iis oriundi, an mares tantum stirpisque masculinae descendentes ad successionem admitti debeant?

2. pluribus eiusdem ordinis simulne, an vni tantum ex iis successio tribuenda sit?

1. Si plures simul admittuntur, iterum vel diuisio, vel communio, vel alternatio statuitur. Sin vnus tantum ex pluribus; vel primogenitura, vel maioratus lenioratusue.

## §. 768.

In successione simplici qui secundum leges imperii fundamentales proximus ordine est, ipso iure ad imperium ius quaesitum habet.

§. 769.

## §. 769.

Si successio cadit in impuberem, aliumve impeditum, vicaria administratione tutelaque opus est; quam proinde iterum lex fundamentalis, hoc genus imperii statuens, prospicere debet.

## §. 770.

Si posteri imperantis ad successionem qualificati amplius non adsunt; extincta stirpe regnatrice in successione simplici extinguitur efficacia legis illius fundamentalis, qua familiae huic delatum imperium. Durat interim pactum unionis; et in eum statum recidit ciuitas, quo ante pactum subiectionis fuerat. Hinc potest tunc populus noua lege fundamentali nouum imperio modum scribere; Quodsi vero sine nouis limitibus alteri cuidam familiae imperium defert; tacite continuatur pristina priorum legum fundamentalium efficacia.

## §. 771.

Ceterum in monarchia penes solum principem summum imperium est, cui omnes, qui in territorio degunt, et vel eae quoque, quae ad familiam principis pertinent, personae subsunt.

## §. 772.

Interim non tantum omnium monarchiarum imperium sua natura limitatum est (

P

672.),

672.), sed et quilibet princeps pro suis cuiusque reipublicae legibus fundamentalibus obligatur

1. ad relinquendam subditis libertatem, vbi ea reseruata (§. 737.), et

2. ad adhibendum procerum s. *ordinum imperii* consensum, vbi illius necessitas praescripta (§. 739.).

§. 773.

In *democratia* imperium est penes ipsum populum (§. 743. sq.); quem proinde duplici modo hic considerari oportet, adeo vt totus populus tamquam vna persona moralis sustineat personam imperantis, et singuli ciues sint subditi.

§. 774.

Totus vero populus vt

1. vnam determinatam personam moralem efficiat, necesse est, vt lege fundamentalis definiatur numerus ciuium, et quis in illum referendus sit; ac praeterea

2. vt imperium exercere, adeoque vnam voluntatem declarare possit, pariter definiendum, quid pro vna totius populi voluntate habendum sit.

§. 775.

Hinc administratio reipublicae democraticae potissimum in conuentu totius populi siue in *comitiis* exercetur. Inque iis ex lege fundamentalis obseruantiae diiudicandum;

dum; quomodo conuocetur populus, quomodo proponatur, suffragia ferantur, numerentur, concludatur cet.

§. 776.

Quoniam vero difficile, quoties administratio reipublicae id requirit, semper vniuersus populus conuenit; auctoritate populi in democratia singularia eius administrationis capita committuntur certis personis collegiisue eum in finem ordinatis, ceu *deputationibus*, *magistratibusue* siue perpetuis, siue temporariis.

§. 777.

In *Aristocratia* summum imperium est penes proceres quosdam, qui pariter eatenus personam moralem constituunt, atque alio respectu qua singuli, non minus, ac reliqui ciues, subditi sunt.

§. 778.

In *Aristocratia* igitur lege fundamentali definiendum est:

1. quot et quinam proceres imperio potiri debeant; iique vtrum iure familiae hereditario, an personali tantum siue vitae siue breuiori adhuc tempore circumscripto?

2. quomodo istorum procerum efficienda vna voluntas?

§. 779.

Praeterea non minus ac monarchia limitibus



tibus arbitrariis circumscribi potest imperium aristocraticum.

§. 780.

Quumque ipsa vniuersa reipublicae administratio pluribus modis dispertiri possit (§. 686.); nil impedit, quo minus ex pluribus reipublicae formis componatur *mixta* quaedam forma, veluti si monarchae quidem summum committitur imperium, certa vero administrationis reipublicae pars proceribus totius populo confiditur.

§. 781.

Quin quatenus etiam leges fundamentales nouo populi atque imperantis consensu mutari possunt (§. 728.), vel deficiente persona imperantis efficacitate sua destituuntur (§. 748. 770.); mutari altera reipublicae forma in alteram potest.

Et sic generatim quoque diuersitas formae sub diuerso reipublicae statu comprehenditur, adeo vt et salutis publicae ratio haud parum pro diuersis formis rerumpublicarum varietur (§. 683.).

§. 782.

Demum plurium quoque ciuitatum conjunctiones cogitari possunt. Quae tunc iterum vel commune habent imperium; vel minus.

§. 783

## §. 783.

Ex pluribus ciuitatibus sub vno communi imperio coniunctis, quatenus eadem lege fundamentalis vtuntur, iterum vna oritur ciuitas: siue tunc desinat pristinum singularum ciuitatum, quae iam coalescunt, imperium; siue permaneat illud quasi in rebus publicis specialibus, modo vni supremo imperio subordinatum.

1. Sic et plures ciuitates per nouum sponte initum vnionis et subiectionis pactum in vnam ciuitatem maiorem coire; et vni ciuitati tamquam principali aliae iure belli et pacis alioque pacto accedere *s. incorporari* possunt.

2. Vicissim ex vna ciuitate, veluti ex monarchia restricta, si ordines forte imperii ad ipsa maiestatica iura adspirant, plures *respublicae speciales* enasci possunt.

3. Contra plures ciuitates sub vno imperante constitutae, si diuersis vtuntur legibus fundamentalibus, vnam ideo ciuitatem non efficiunt.

## §. 784.

Plures ciuitates coniunctae citra nouum commune imperium si vel maxime communem quemdam finem colant, non nouam ciuitatem constituunt, sed *systema tantum ciuitatum foederatarum*, siue *associatas*

P 3

respu-


*respublicas* efficiunt, quas *Achaicas* quoque adpellant.

## §. 785.

Proprie itaque *summum* in ciuitate requiritur *imperium*, adeo vt imperante nemo detur superior. Qui proinde nulla lege positua obligatus, nec iudiciis poenise subiectus, libertate potius naturali vtitur.

## §. 786.

Hinc si plures in idem imperium sibi simul ius tribuunt, ob dubia forte in successione vel electione enata; lis haec a nemine decidi potest, sed populus fauore tantum necessitatis alterum imperantem agnoscit, aut victori cedit; alterum *aemulum regni* relinquit.



## TIT. III.

## DE MODO

IUS SVVM PERSEQVENDI  
INTER IMPERANTEM  
ET SVBDITOS.

## §. 787.

**S**i quoad nexum imperii ciuilib, vbi summus imperans ex vna, subditi ex altera parte considerantur, alter alteri suum non tribuit; laesus in laedentem ius cogendi habet, idque tamen ob ipsam interuenientis imperii naturam aliter comparatum, si iuri imperantis, quam si iuri subditorum non satisficit.

## §. 788.

## Imperans

1. ex ipsa lege naturali ad suam et ciuitatis suae securitatem obtinendam ius in laedentes eam laesurosue subditos habet persequendi eorum res, iura et vitam (§. 466.),

2. iure summi imperii ius habet, inquirendi in facta, laesionem suam inuoluentia, sententiam ferendi ac puniendi.

## §. 789.

Laeditur autem imperans a subditis, quoties

ties hi detrectant obsequium illi debitum; et quoties reipublicae, quam administrat, detrimento vel exitio aliquid committunt, vel committere tentant.

## §. 790.

Vtrumque vel ad euertendam vniuersam reipublicae administrationem tendit, vel in singulari tantum obligationis alicuius civilis violatione consistit.

## §. 791.

Subditi, obsequium principi debitum adeo detrectantes, vt totam reipublicae administrationem euertere tentent; *maiestatem laedunt*; *hostes reipublicae*, quatenus consilia salutis totius ciuitatis perniciosam agunt; speciatim *rebelles* s. *perduelles*, quatenus personam imperantis de imperio deicere conantur.

## §. 792.

In rebelles et hostes reipublicae ius est imperanti, *vita eos plectendi*, et bona eorum *confiscandi* (§. 788.).

## §. 793.

Subditi, singularem tantum obligationem quamdam violantes, vel non satisfaciunt legi praecipituae, vel committunt aliquid contra legem prohibitiuam; iterumque vel legem violant, quae sub sanctione poenali

poenali aliquid praecipit prohibetue, vel non poenalem.

§. 794.

Vtroque casu imperantem laedunt; sed vel solum imperantem rempublicamue, vel alios simul subditos; eoque casu iterum vel directe simul rempublicam, vel per indirectum et mediate duntaxat.

§. 795.

Quoties lex non poenalis violatur; auctoritate publica coguntur subditi ad faciendum, quod lex praecipit, non faciendum, quod prohibet. Quoties poenalis; ad executionem simul perducitur poena lege praescripta.

1. Vtrumque fit vi, quantum opus, adhibita, et eorum quidem ope, quibus summus imperans id negotii dedit.

2. Poena in bonis priuandis, in multa, carcere, exilio, relegatione, proscriptione, infamia, quin et morte consistere potest, quatenus ad securitatem principis et reipublicae illi ius in vitam subditorum, seu *ius vitae et necis* competit (§. 788.).

§. 796.

Semper autem, an factum, ex quo laesio illata imminensue colligitur, adsit, et an secundum leges imputari possit, inquirendum

rendam prius; id quod per iudicia ac magistratus fieri curat imperans (§. 716.), siue ex officio, siue ad delatas aliorum subditorum *fiscalisue* querelas, qualis est officialis eum in finem constitutus, vt in facta subditorum laesionem imperantis inuoluentia inquiri, atque hanc caueri curet.

## §. 797.

Subditi ab imperante non aliter laeduntur, quam si imperans limites imperii naturales aut lege fundamentalis praescriptos violat. Et tunc

1. eatenus quidem ceu duae personae, quae in statu naturali pactum condiderunt, quarumque altera alteram laedit, considerari debent populus ceu laesus et princeps ceu laedens;

2. Simul vero imperans naturam superioris retinet; non cognitioni subest, non sententiae, non poenae; sed solum secundum iura, quae in statu naturali obtinent, tractari potest.

## §. 798.

Quodsi itaque singuli forte subditi, se citra salutis publicae rationem vel ultra legis imperii fundamentalis limites laedi a summo imperante, queruntur; repraesentare quidem querelas suas possunt imperanti, intra debitos autem respectus et obsequii limites

mites se continere debent, neminique ea de re ius cognoscendi est.

Vnde sola saepe solamini tunc superest spes meliorum temporum.

§. 799.

Sin autem, manifesto proposito et voluntate efficaci principem non ad salutem, sed in exitium publicum, imperio suo non uti sed abuti, id est *tyrannum* agere, nullamque legum fundamentalium rationem habere, in aprico fuerit; iure populus naturali in hostem utitur, suamque quouis modo contra tyrannum securitatem obtinere studet.



CAP.



## CAPVT III.

IVS CIVILE PRIVATVM  
VNIVERSALE.

## TIT. I.

## DE IVRE PRIVATO IN GENERE.

## §. 800.

**I**n statu ciuili haectenus subditos in genere considerauimus, quatenus in nexu summi imperii deprehenduntur, quod *iuris publici* erat (§. 684. lq). Nunc singulorum subditorum iura et obligationes inuestigari oportet, quod *iuris priuati* est.

1. Reuera enim in hoc versatur omne iuris publici et priuati discrimen, vt in illo semper quaestio sit de iuribus et obligationibus subditorum in genere, sine respectu, vtrum de Titio, an de Caio agatur; contra in priuato iure semper indiuiduum subiectum tractetur, et de eius iuribus vel obligationibus quaeratur.

2. Veluti iuris publici est quaestio: quomodo generatim subditi obligentur ad morem legibus gerendum? iuris priuati est: an Titius Caiusue legibus satisfecerit, an ius, an obligationem ex lege habeat? Alioquin enim perfecto crimina non recte retuleris ad ius priuatum.

## §. 801

## §. 801.

Iuri maiestatico, per leges positivas actiones subditorum ad salutem publicam dirigendi, (§. 688.), ex parte singulorum quorumque subditorum respondet obligatio ad commodandi legibus istis actiones suas, quae proinde ex iisdem positivis legibus in statu civili imputantur.

## §. 802.

Leges istae, quae determinant iura et obligationes singulorum subditorum, quatenus in statu civili viuunt, efficiunt *ius civile priuatum*, seu *ius civile* in specie sic dictum. Eaque in singula quaque ciuitate aliae dantur, prouti variatur status cuiusque reipublicae et voluntas imperantium. Vnde suum cuiusque ciuitatis oritur peculiare *ius civile posituum*.

## §. 803.

Sunt vero, quae generatim ex natura ciuitatis statusque civilis erui possunt, iura singulorum subditorum omnibus ciuitatibus communia, adeo vt doceri possit, quomodo singulorum subditorum iura et obligationes in omni ciuitate vel ex ipsa status civilis natura determinantur, vel per leges positivas vno alteroue modo determinari queant. Vnde *ius civile vniuersale*, quod hic tractamus.

## §. 804.

## §. 804.

Omni statui ciuili conuenit, vt singulorum subditorum actiones, quoad eius fieri potest, ad communem cum publicam totius ciuitatis, tum priuatam singulorum ciuium salutem dirigantur (§. 675.). Vnde in omni iure ciuili, quantum fieri potest, ita determinantur singulorum subditorum actiones, vt

1. ad cuiusque salutem priuatam tendant, et simul tamquam media ad supremum salutis publicae finem subordinentur;
2. in collisione vero salus priuata cedat publicae (§. 676.).

Quidquid ita ad salutem publicam tendit, *reipublicae interesse* dicitur.

## §. 805.

Quid proprie reipublicae interfit, de rebus priuatis statui, non iuris, sed prudentiae legislatoriae est. Interea haud difficile intelligitur, optimam priuatae publicaeque salutis coniunctionem in eo versari, vt reipublicae interfit: *conseruari et augeri bonos atque locupletes subditos.*

Vnde porro quidquid huic principio conuenit, fieri, quidquid ei aduersatur, non fieri, reipublicae interest. Idque tamquam principium in omni fere prudentia legislatoria obseruatum, adeoque plurimarum legum ciuili-  
lium

lium rationem suppeditans deprehendes, licet ex varietate status civilis (§. 671.) nonnumquam variari quaedam possint.

§. 806.

Sic vero iure civili vel relinquitur ius et obligatio singulorum subditorum, vti est singulorum hominum in statu naturali; vel civilis in specie statuitur obligatio.

§. 807.

Prius obtinet, quotiescumque lex nulla civilis de re quadam lata (§. 670.), et quoties adeo ad salutem publicam pro suo cuiusque reipublicae statu sufficere in re quadam legem naturalem, iudicat summus imperans.

§. 808.

Enimvero lex naturalis quum nesciat communem salutis publicae finem, ad quam imperio dirigantur actiones hominum; fieri non potest, quin

1. dentur iura in statu naturali, quae cessant vel aliter se habent in statu civili; et
2. contra dentur iura in statu civili, quae iure naturali vel incognita vel non ita determinata sunt.

§. 809.

Hinc iure civili, quoties reipublicae interesse iudicatur,

1. re-

1. restringitur libertas naturalis, dum iubetur aliquid fieri, quod iure naturali non praeceptum, vel non fieri, quod illo non prohibitum (§. 695.);

2. fortior redditur obligatio poenis praemissae (§. 697.);

3. magis determinatur, quod iure naturali indeterminatius relictum;

4. nova plane iura et obligationes, quas nescit ius naturae, statuuntur.

Quae omnia satis arguunt iuris civilis et naturalis differentiam, quae maior tamen minorae pro status cuiusque civilis indole esse potest.

#### §. 810.

Et sic quidem suo modo determinat ius civile

1. tum ipsa iura et obligationes singulorum subditorum;

2. tum modum, quo ius suum persequantur singuli subditi (§. 234.).

#### §. 811.

Obligationes singulorum subditorum hic ex sola lege civili aestimandae sunt. Quemadmodum vero in statu naturali suum hominis vel connatum vel acquisitum est, prouti vel a sola natura, vel accedente deum facto homini competit (§. 234.); ita hic quoque subditi obligantur vel immediate

rali, veluti occupatio et pactum; vel  
 2. restringi, vt non libere quidquid oc-  
 cupare vel de quavis re pacisci liceat. Item  
 3. addi potest *caussa civilis* id est noua de-  
 terminatio iure naturae incognita, a qua  
 demum incipiat obligatio civilis, veluti for-  
 mula sollemnis, scriptura, traditio, cetera.  
 Denique

4. plane nouum statui potest factum obli-  
 gatorium, in statu naturali prorsus incogni-  
 tum, veluti possessio, praescriptio, con-  
 sensus praesumptus.

## §. 820.

Iam si factio istius obligatorio adnumeratur  
 quoque factum illicitum, quo ex violatione  
 obligationis negatiuae oritur obligatio po-  
 sitiuia (§. 816.); clarum est, omnem in sta-  
 tu civili obligationem adfirmatiuam suppo-  
 nere factum, cui lex illam obligationem  
 attribuit. Adeoque omnes singulorum sub-  
 ditorum obligationes adfirmatiuae commo-  
 de sic distribui possunt, vt aliae ex facto li-  
 cito, aliae ex illicito oriantur.

## §. 821.

Omnia autem facta obligatoria quum  
 imputabilia esse debeant (§. 156.); per-  
 spicuum quoque est, de imputatione vel  
 relinqui leges naturales, vel magis aut  
 aliter determinari, quae de statu homi-  
 nis morali perfecto vel imperfecto (§. 75.)  
 ob aetatem minorennem, vel defectum a-

Q 2

nimae

possit obligatio euentualis ad poenam, quae est subdito erga rempublicam.

§. 815.

Quin potest etiam in statu ciuili imponi obligatio negatiua, statui naturali incognita; eaque non subditi tantum erga subditum, sed erga solam quoque rempublicam.

§. 816.

Vnde quum ex facto, quo violatur obligatio negatiua, seu quod contra legem prohibitiuam committitur, oriatur obligatio positiua ad satisfactionem (§. 477.); haec duplex in statu ciuili datur: alia *priuata satisfactio* subditi laedentis erga subditum laesum, alia *publica* subditi erga ciuitatem atque imperantem ad poenam, quae et vtraque simul et alterutra locum habere potest.

§. 817.

Omne factum, quod contra legem prohibitiuam committitur, *factum illicitum*; quod ad poenam obligat, *delictum* s. *crimen* vocatur.

§. 818.

Suum aduersum semper supponit factum, ex quo alteri ius, alteri obligatio oritur; adeoque in statu ciuili factum, cui lex vim obligandi tribuit, s. *factum obligatorium*.

§. 819.

Factum hocce obligatorium in statu ciuili iterum

1. relinqui potest, vti est in statu naturali,

rali, veluti occupatio et pactum; vel  
 2. restringi, vt non libere quidquid occupare vel de quavis re pacisci liceat. Item  
 3. addi potest *caussa civilis* id est noua determinatio iure naturae incognita, a qua demum incipiât obligatio civilis, veluti formula sollemnis, scriptura, traditio, cetera.  
 Denique

4. plane nouum statui potest factum obligatorium, in statu naturali prorsus incognitum, veluti possessio, praescriptio, consensus praesumptus.

§. 820.

Iam si factio istius obligatorio adnumeratur quoque factum illicitum, quo ex violatione obligationis negatiuae oritur obligatio positua (§. 816.); clarum est, omnem in statu civili obligationem adfirmatiuam supponere factum, cui lex illam obligationem attribuit. Adeoque omnes singulorum subditorum obligationes adfirmatiuae commode sic distribui possunt, vt aliae ex facto licito, aliae ex illicito oriantur.

§. 821.

Omnia autem facta obligatoria quum imputabilia esse debeant (§. 156.); perspicuum quoque est, de imputatione vel relinquere leges naturales, vel magis aut aliter determinari, quae de statu hominis morali perfecto vel imperfecto (§. 75.) ob aetatem minorenem, vel defectum animae

Q 2

nimae



nimae aut corporis connatum vel aduentium, veluti morbum, ebrietatem, somnum, adfectum cet. (§. 76.) item de ignorantia et errore (§. 77.) vincibili vel inuincibili (§. 126.), de culpa demum ac dolo (§. 129. 1q.) supra secundum leges naturales explicata dedimus.

## §. 822.

Sic enim permulta, quae lex naturalis vel plane non, vel non satis determinat, lege ciuili determinari vel magis determinari, ob salutem publicam oportet, vel ex ea generali ratione: vt ne iura inter subditos incerta relinquuntur, atque lites, quantum fieri potest, praecidantur. Quamobrem saepenumero, quod aequitas tantum suadente, non ius efficere in statu naturali videtur, in statu ciuili iure et obligatione perfecta munitur.

Vnde complura deriuanda iuris ciuilis principia statui naturali incognita; veluti pleraque praesumptionum atque fictionum fundamentum ad salutem publicam statuitur: praesumendum, fingendum, supplendum esse consensum, vbi reuera non est, sed aequitati tamen non contrariatur; vti huc pertinent regulae; Quisque praesumitur consentire in id, quod vtilitatem adfert; non praesumitur cum alterius damno fieri velle locupletior; cet.

§. 823.

## §. 823.

Ceterum omne suum hominis quum sit vel in se ipso, vel extra se (§. 264.), extra hominem vero suum vel in rebus vel in aliis hominibus consistere possit; sequitur, ut iura singulorum subditorum, quibus semper obligatio ex altera parte respondere debet, vel sint in res, quas alter alteri relinquere vel praestare tenetur, vel in ipsam personam, seu in illud alterius suum, quod in illo ipso est, non extra illum. Vnde ius priuatum subditi erga subditum in *ius rerum et personarum* diuiditur.



## TIT. II.

## I V S R E R V M.

## §. 824.

**R**erum possessiones ad salutem singulorum civium totiusque civitatis maxime contribuant; Hinc reipublicae interest, omnes, quae in territorio deprehenduntur, res ad salutem singulorum civium totiusque civitatis, quoad eius fieri potest, conuerti.

Vnde statim plura liquent, quae leges civiles in determinandis rerum iuribus obseruare solent, principia, veluti:

1. Ne qua res sine domino relinquatur;
2. ne quis re sua male vtatur;
3. ne incerta sint dominia; et quae sunt reliqua.

## §. 825.

Sic primum ipsa rerum varietas in statu civili diuersa iura efficere potest. Vnde notandae diuisiones rerum praesertim in immobiles et mobiles, animatas easque iterumque feras, vel mansuetas, mansuetas, et inanimatas, fungibiles et non fungibiles, cet.

## §. 826.

Dein quod ad iura rerum attinet, iure civili determinari potissimum debet: quomodo

modo res primum in dominium singulorum redigi queat? quaenam sint iura dominii? quomodo iura in alium transferantur?

## §. 827.

Prima et naturalis omnis dominii origo ex occupatione est, quae in rebus nullius etiam in statu civili locum habet, nisi qua lege ob salutem publicam restricta sit. Sed alium quoque civilem ortum trahere possunt singulorum dominia ex distributione terrarum a tota ciuitate facta, siue ex concessione summi imperantis.

## §. 828.

Dominium etiam in statu civili omnia rerum iura continet, speciatim ius vtendi, disponendi, excludendi alios, destruendi, derelinquendi, transferendi rem vel ius in alium; nisi quatenus lege vnum alterumue ob salutem publicam restrictum.

Restringi enim potest ius domini tum ad praestandum aliquid patiendumue circa rem suam, ad quod in libertate naturali non obligaretur, tum ad non faciendum, quod alias facere posset, veluti vt non alienet, non abutatur, cet.

## §. 829.

Cessat dominium singulaque eius iura cessant 1) interitu rei, 2) morte domini, 3)

Q 4

COM-

commisso tali facto, cui leges effectum tribuunt vel amittendi simpliciter dominium in satisfactionem publicam vel transferendi dominium eius ius quoddam in alium.

§. 830.

In factis, quibus leges civiles effectum tribuunt, dominium eiusque ius quoddam in alium transferendi, primum locum tenet pactum, siue naturalibus tantum requisitis, siue causa civili praeditum, id est *contractum civilem* seu in specie sic dictum.

§. 831.

Eiusmodi pacto

1. vel tota res cum omni iure, siue gratis per *donationem*, siue titulo oneroso per *emptionem venditionem, permutationem*;

2. vel res non cum omni iure, siue ad usum tantum in *commodato, locatione*, siue ad securitatem crediti modo in *pignore*;

3. vel ius quoddam sine rei possessione transfertur, siue iterum in securitatem modo crediti per *hypothecam*, siue ita ut in alterius utilitatem restringatur domini libertas naturalis ad aliquid patiendum vel non faciendum in suo per *servitutem*.

Vel 4. demum plures quoque secum invicem et reciproce res et iura rerum communicant in *societate*, aut *communione* circa res inita.

§. 832

## §. 832.

Quomodocumque de re aut iure quodam transferendo pactum conditum; eo dominus ad concedendum illud alteri obligatur, hic acquirit. Sed ut vere quoque dominium iusue translatum exercere possit, necesse est, ut rem possideat, dominusve ius in re sua exerceri patiat. Unde necessaria adhuc traditio, ad quam obligatur transferens; licet ipsum ius adquirentis revera per illam non augeatur; nisi lex positiva id velit.

Unde solum ex lege positiva repetendum, si qua differentia *iuris ad rem* et *in re* statuitur, ut hoc contra quemcumque, illud contra eum modo, cum quo contractum, valeat.

## §. 833.

Praeter verum pactum, quod verum consensum requirit, lex civilis etiam ex alio quodam facto vel ex sola aequitate consensum praesumere atque translationem iurium tacitam statuere potest; veluti

1. ob negligentiam et derelictionem praesumptam in *praescriptione*;

2. ob consensum in suam utilitatem praesumptum, vel in id, quod consequitur, ex antecedente collectum, in *quasi contractibus*, *hypotheca tacita* cet. (§. 822.)

Q 5

§. 834.

## §. 834.

Morte domini cessat eius ius; sed reipublicae interest, alium substitui successorem, superstitem ciuem; et ita quidem, vti salutis publicae quam maxime conueniat.

## §. 835.

Res itaque mortuorum nullius fieri, et occupanti cedere; nulla facile respublica patietur. Potius reip. interest, certum lege publica definiri ordinem, qui tum aequitati tum statui reipublicae maxime conueniat, quo citra controuersiam suus cuique successor certo constare possit.

## §. 836.

Aequitas suadet in primis liberorum ac parentum, dein voluntatis quoque defuncti habere rationem. Et quamquam ius naturae nullum hic perfectum ius tribuat; eo magis tamen id merito supplet lex ciuilis, quo magis ita certitudo successionis obtinetur, et salutis publicae conuenit, liberos in locum parentum substitui locupletes.

## §. 837.

Leges itaque ciuiles, quae successionem definiunt, vel ita concipi possunt, vt vltimae defuncti voluntati quid tribuant, vel citra eam ipsae personam successoris determinent.

## §. 838.

## §. 838.

Lex ciuilis possessori de rebus suis post mortem disponendi facultatem dare, et *ultima* tali *voluntati* obligationem perfectam, etiamsi talem iure naturae non haberet, tribuere potest.

## §. 839.

Sic non *pactum* tantum *successorium*, sed et alia quaevis voluntatis declaratio, licet unilateralis veluti *testamentum*, efficacitate perfecta muniri potest.

## §. 840.

Simul vero praescribere potest lex ciuilis

1. modum seu formam in ultima tali voluntate obseruandam, veluti testes adhibendos, oblationem magistratui faciendam, cet.

2. essentialia quaedam obseruanda, veluti heredis institutionem, cet.

3. certos quosdam successores, saltim in certa bonorum parte siue *legitima* necessario instituendos, et non nisi iustam ob causam exheredandos.

## §. 841.

Ceterum cui testamento de bonis suis disponere licet, eius arbitrio committunt leges ciuiles, cui totam hereditatem vel singulas res ex ea siue *legata* relinquere velit.

## §. 842.



## §. 842.

Nec facultas adimitur testatori aliquid mutandi, addendive noua voluntate, ambulatoria vsque ad mortem, siue nouo testamento, siue codicillo, quod aliter tamen se habet in pacto successorio.

## §. 843.

Citra voluntatem defuncti *legitima successio* determinat ordinem personarum, quo suus cuique successor certo constet, ex aequitate et rationibus status publici desumptum.

Vbi praecipua fundamenta solent poni vel in praesumpta defuncti voluntate, adeoque praesumpto eius amore, vel in conseruatione familiarum.

## §. 844.

Aequitas omnes fere leges ciuiles in eo conuenire fecit, vt prima liberorum et descendendum, dein parentum et ascendendum, porro collateralium, haberetur ratio.

## §. 845.

In eo autem maxime pro diuerso cuiusque reipublicae statu differunt leges ciuiles:

1. quem locum vxori in successione tribuant?

2. an feminis aequale cum maribus succedendi ius concedant, nec ne?

3. in-

3. inter plures agnatos quem praeferant? an propiorem gradu? an linea?

4. inter aequales vtrum diuisionem admittant siue alternationem aut communionem; an primogenituram, lenioratum maioratumue?

Quae omnia lege ciuili definiantur, necesse est.

§. 846.

Successor quomodocumque designatus vel necessario succedere legibus cogitur, vel liberum habet arbitrium, vtrum succedere velit?

§. 847.

Heres suus et necessarius ipso iure adstringitur ad omne id, quod leges volunt.

§. 848.

Heredem-voluntarium primum declarare oportet, vtrum velit hereditatem, nec ne?

§. 849.

Illud siue verbis siue factis declaret, *adit hereditatem*, et statim obligatur ad id, quod leges aditioni tribuunt.

§. 850.

Generatim tunc succedit in iura defuncti, eius facta praestare debet, et in specie, si ex vltima voluntate succedit, eam quo-

quoque totam implere, nisi qua lege ciuili haec obligatio moderetur.

Veluti concesso forte iure deliberandi, beneficio inuentarii, detractione quartae, et quae sunt reliqua.

§. 851.

Vbi denique nullus successor neque ex vltima voluntate nec iure agnationis adest, merito fiscus sibi vindicat bona vacantia (§. 726.).



TIT.

TIT. III.

I V S P E R S O N A R V M.

§. 852.

**I**us hominis in alium hominem adfirmatum aliter intelligi nequit, quam ut suum huius referatur ad suum illius. Si suum illud est extra personam eius, qui obligatur; veluti si quis in res vel bona alterius ius habet, hoc ad ius rerum pertinet, de quo haecenus (§. 826. sq.). Sin suum illud est in ipsa eius persona, quae obligatur, adeoque ius alter in ipsam personam habet; hoc *ius personarum* efficit, de quo nunc agendum (§. 823.).

§. 853.

Suum hominis, quod in ipsa eius persona est, consistit in vita, (§. 235.), et in libertate actionum suarum (§. 236.). Ergo ad ius personarum pertinet, si quod datur ius in vitam et in actiones alterius.

§. 854.

Potissimum itaque concipi potest hoc ius vel in totum alterum hominem, vel in actiones eius.

§. 855.

Totus homo alteri subiectus, adeo ut hic omne in vitam et actiones illius ius habeat, illique nullum amplius suum superstit,

perfit, non aliter considerari potest quam ut res in dominio alterius constituta. Quale quidem ius secundum iuris naturalis principia ne ex pacto quidem datur (§. 643.). Sunt tamen, quae duras eiusmodi miserorum *mancipiorum*, ne dicam liberorum conditiones statuerunt, leges quorundam populorum positivae.

## §. 856.

Illud vero ius personarum, quod in actiones alterius hominis alteri ius tribuit, ipsis legibus naturalibus haud aduersatur; tantum abest, ut ciuilibus ignoretur legibus.

## §. 857.

Iterum autem hoc ius est vel in singulas dumtaxat actiones siue ad certa quaedam facta praestanda, vel in plures actiones ad communem quemdam finem dirigendas.

## §. 858.

Posterior iuris personarum species in societatibus versatur, quarum naturalia iura hic modo ex subordinatione sub summo imperio et supremo salutis publicae fine magis determinantur.

1. Vnde in statu ciuili prohiberi et restringi possunt societates; in statu naturali iustae nullisque limitibus circumscriptae (§. 717.);

2. Ob-

2. Obligatio socialis in statu ciuili per legem et ex consensu praesumpto suppleri potest, ubi in statu naturali nulla est (§. 819.).

3. Singulae societates qua personae morales in statu ciuili simul personam subditi sustinent (§. 681.).

## §. 859.

Sic sigillatim, vti ad salutem publicam, in specie ad augendum numerum ciuium, eosque bona educatione bonos efficiendos; ac locupletes maximopere conducunt bene ordinata matrimonia; reipublicae interest, pro suo cuiusque statu legibus ciuilibus ea adcommodari.

## §. 860.

Vnde recte lex ciuilis prohibet fornicationem, stuprum, aliasque qualescumque vagae Veneris species; et statuit contra, quidquid incitamento maritandis ordinibus est.

## §. 861.

Porro determinant potissimum leges ciuiles:

1. numerum coniugum, veluti dum polygamiam in primis prohibent;
2. requisita personarum matrimonium ineuntium, cuius aetatis atque conditionis esse debeant?
3. modum contrahendi matrimonium?

R

tum

tum quoad sponsalia, tum quoad ipsam matrimonii consummationem;

4. iura coniugum et obligationes inter se inuicem; demum

5. durationem huius societatis; praesertim an dissolui possit diuortio, et quibus ex causis?

§. 862.

Eadem ratione determinantur iura paternae societatis (§. 607.), praesertim ut

1. magis definiatur et vi legis perfecta reddatur parentum erga liberos obligatio;

2. suis quoque limitibus circumscribatur potestas patria;

3. modi, quibus tum acquiratur, tum finiatur ea, praescribantur.

§. 863

Quumque reipublicae intersit, nullos impuberes educatione destitui; non parentibus modo obligatio perfecta imponi potest educandi liberos suos, sed et mortuorum impeditorumue parentum loco ut continetur educatio, leges civiles curant, dum ita cuiusque impuberis tutelae prospiciunt, ut numquam, qui perfecte ad illam suscipiendam ipsa lege obligetur, deesse debeat.

§. 864.

Quem in finem ultimae quidem parentum voluntati in constituenda liberorum suo-

suorum *tutela* siue *testamentaria* siue *factitia* primus dari potest locus; praeterea vero vel ordine agnationis definiuntur *tutores legitimi*, vel iudici demum constituendi relinquuntur *tutores dativi*.

## §. 865.

Generatim vero tutelae recte geri ad eam reipublicae interest, ut iure meritoque tutela munus publicum habeatur, et summus imperans sibi suisque magistratibus supremam omnium tutelarum inspectionem vindicet; hinc cautiones praestari a tutoribus, rationes reddi, suspectos remoueri curet.

## §. 866.

Tandem circa societates heriles quoque primum pro statu cuiusque reipublicae legibus ciuilibus determinatur: perpetua seruitus, omnimoda et obnoxia, an temporaria, restricta, atque mercenaria locum habeat (§. 635.)?

## §. 867.

Deinde id in primis reipublicae interest, lege ciuili ita tum heri tum serui iura et obligationes definiiri, ut ne saluti publicae sint detrimento.

Veluti ne quis dominus abutatur omnimodo iure suo; ne vicissim nimis manumittat; ne alimenta mercedemue seruis detrahat, reliq.



## §. 868.

Aliae praeterea societates ciuiles, ceu collegia et vniuersitates (§. 680.) eo magis aestimandae fere solis legibus ciuilibus, quo magis fere solum in statu ciuili locum habent, finemque speciatim supremo salutis publicae fini subordinatum colunt.

## §. 869.

Vnde ex suis cuiusque reipublicae ciuilibus legibus diiudicandum:

1. quaenam collegia *licita* sint vel *illicita*?
2. quaenam totius societatis ac singulorum sociorum iura sint et obligationes?

Sic enim recte illicita statuit summus imperans collegia sine consensu suo inita; definitur numerus sociorum, ius excludendi alios, ius recedendi e societate; modus expediendi negotia socialia, reliq. Pariter, quibus iuribus integra collegia et vniuersitates praedita sint, quomodo contrahere, delinquere possint; an et quatenus iure prohibendi erga alios gaudeant? omnia ex legibus priuilegiisque aestimanda veniunt.

## §. 870.

Ex quibus omnibus haud difficile simul intelligetur, quomodo in triplici potissimum statu hominum, nempe libertatis, ciuitatis et familiae, versetur ius personarum in statu ciuili.

TIT.

## TIT. IV.

## IVS CRIMINALE VNIVERSALE:

## §. 871.

**H**actenus singulorum subditorum iura et obligationes ex facto licito considerauimus. Nunc quaenam ex facto illicito obligationes in statu ciuili oriuntur, investigandum (§. 820.), speciatim ex criminibus (§. 817.); quorum leges in specie *ius criminale* efficiunt, idque iterum *uniuersale*, quatenus ex natura status ciuilis in genere eruitur (§. 803.).

## §. 872.

Omniū criminalium legum finis est,

1. vt securitas interna obtineatur,
2. vt boni reddantur ciues.

## §. 873.

Et ad duplicem istum finem potissimum determinant leges criminales

1. ipsa facta, quae in numerum criminum referri,
2. poenas, quas ea manere, pro salute publica velit legislator.

## §. 874.

Ipsa igitur crimina sunt facta, quae vel vt securitate interna fruuntur, vel vt boni sint

sint ciues, impedire censet legislator, si vel maxime factum lege naturali prohibitum non deprehendatur (§. 809.).

## §. 875.

Sic ad securitatem internam in numerum delictorum iterum referri possunt facta, quae laesionem singulorum subditorum, et quae laesionem vniuersae ciuitatis inuoluunt.

Vnde potissimum explicanda *delicti privati* atque *publici* distinctio, nonnullis iuribus introducta, licet non satis, ni fallimur, adaequata.

## §. 876.

Singuli subditi ab aliis laedi possunt vita, corpore, existimatione bonisque externis. Vnde sub hacce delictorum classe in primis comprehenduntur latrocinia, duella, damna corpori data, iniuriae, furta, rapinae, aliaque bonis data damna.

## §. 877.

Contra ad crimina, quibus singuli subditi vniuersam ciuitatem laedere, adeoque securitatem eius internam turbare possunt, referimus crimina laesae maiestatis, rebellionis, falsae monetae, repetundarum, aliaque quaecumque, quibus iura maiestatica violantur.

## §. 878.

## §. 878.

Praeterea, vt boni maneant ciues, in numerum criminum referri possunt facta, quibus officia erga Deum et erga se ipsos boniue mores violantur a singulis subditis; veluti blasphemia, maledictiones, periurium, Autochiria, nefanda Venus, cet.

## §. 879.

Poenae semper in malis consecrariis consistunt, quae in statu civili ex arbitrio legislatoris cum actionibus prohibitis coniectuntur, vt eo fortiora reddantur motus ad easdem omittendas.

## §. 880.

Mala ista iustam cum delictis proportionem habeant, aequitas suadet et prudentia legislatoria. Ius autem ista mala qualiacumque tanquam poenas delinquentibus infligendi est summo imperanti (§. 697.).

## §. 881.

Sic in bonis mulctae, confiscationis; quoad libertatem carceris; quoad ciuitatis iura exilii, relegationis; quoad existimationem infamiae; quoad corpus ictus iustum, carenae, mutilationis membrorum; demum mortis quoque poenae statui possunt (§. 795.).

## TIT. V.

DE

MODO PERSEQVENDI IVS  
PRIVATVM,

SPECIATIM

## DE RE IVDICIARIA.

§. 882.

**S**i suae quisque obligationi vltro satisfacere, nec de iure alterius vnquam controuersia oriretur; nec bello in statu naturali nec iudice in statu ciuili foret opus. Enimvero vtrumque quotidie accidit; vt quis obligationi non satisfaciat, et vt de ipsa obligatione lis incidat. Hinc nisi qua amice res componi possit vel bello vel iudice opus est.

§. 883.

Bellum statui ciuili minime conuenit; contrariatur potius primario omnium ciuitatum fini, qui in securitate est.

Numquam enim certitudo adforet, *suum* cuique tribui; quum fieri possit, vt potentior licet iniustus vincat impotentior, licet in iustissima causa constitutum. Vti experientia iam docuit exemplo populorum, vbi ius in viribus positum.

§. 884.

## §. 884.

Hinc sola in statu civili iudicia supersunt, quorum ope suum quisque a singulis subditis persequi possit (§. 716.).

## §. 885.

Iudiciis autem ius est ex auctoritate a summo imperante sibi delata cognoscendi de singulorum subditorum obligationibus, iisque ut satisfiat, curandi; quod utrumque ius venit *iurisdictionis* nomine.

## §. 886.

Vnde adparet:

1. omnem iurisdictionem auctoritate summi imperantis exercendam esse; adeoque

2. intra suos quamque limites se continere debere, intra quos est *forum competentis*;

3. extra illos, siue iudici incompetenti impune non pareri (§. 709.).

## §. 887.

In ipsa cognitione causarum, ut reuera, quantum fieri potest, obtineatur finis administrandae iustitiae, siue ut reuera suum cuique tribuatur, opus est, ut non arbitraria lites subditorum decidendi potestate vantantur, sed certo ordine in quasuis controversias circa obligationes subditorum inqui-

R 5

rant

rant, legesque factis rite adplicent; id est praescriptus in quavis causa *processus* obseruari debet (§. 716.).

## §. 888.

Sic vero iudices vel ex officio in obligationes subditorum inquirunt, quoties de obligatione singuli subditi erga ciuitatem siue imperantem agitur; vel ad instantiam actoris, qui sibi alterum obligari contendit.

## §. 889.

In omni iudicio certitudo quaerenda facti, ex quo obligatio deriuatur, cui ius deinde adplicandum est.

## §. 890.

Certitudo facti vel obtinetur confessione eius, de cuius obligatione quaeritur; vel probationibus euincitur, iisque secundum leges instituendis atque diiudicandis.

## §. 891.

Fieri tamen potest, vt factis, ex quibus alter obligationem elicere contendit, alter alia facta, aliaue iura, quibus obligatio ista elidatur, id est *exceptiones* opponat; quas pariter iudicem disquirere oportet.

## §. 892.

Quamprimum vero iudex certus est, subditum quemdam suae iurisdictioni subiectum


ctum obligari ad aliquid, nec tamen satisfacere obligationi suae, nec iustis se tueri posse exceptionibus; auctoritate publica iubet eum obligationi isti satisfacere.

## §. 893.

Interim quum fieri possit, vt male iudicauerit iudex aliquis; merito conceditur adhuc grauatim remedium quoddam proferendi de nouo querelas suas.

## §. 894.

Vnde plures quidem instantiae litigantibus haud denegantur; semel tamen vt litium finis sit, reipublicae interest. Hinc deum res iudicata manet immota; et publica ad executionem perducitur auctoritate.





## IVRIS NATVRALIS

## LIBER IV.

## IVS GENTIVM VNIVERSALE.

## CAPVT I.

## IVS GENTIVM IN GENERE.

§. 895.

**C**iuitas, cuius summus imperans nulli imperio humano subest, vocatur *libera*, et ciuitas libera quatenus vt vna persona consideratur *gentis* nomine insignitur (§. 659.).

§. 896.

Gens est

1. societas: hinc respectu exterorum vt vna persona seu persona mystica considerari potest (§. 540.).

2. est libera: eaque propter iuribus hominis in statu naturali degentis est instructa.

1. *Systema rerumpublicarum foederatarum* (§. 784.) est etiam gens, quatenus singulae respublicae sociatae ponuntur esse liberae (§. 540.).

§. 897.

Pone duas pluresue gentes: pones duas pluresue personas, quae singulae in statu natu-

naturali viuunt. Hinc gentes erga se invicem vtuntur iuribus et tenentur obligationibus iisdem, quibus tenentur homines indiuidui in statu naturali.

## §. 898.

Itaque ad gentes applicari potest ius naturale singulorum hominum quod actu applicatum vocatur *ius gentium*.

I. Ius itaque gentium est *ius societatis* et in specie ius *ciuitatis externum* (§. 545. et 660.).

## §. 899.

Quatenus itaque singularis homo in statu naturali et gens integra inter se conueniunt, eatenus ius naturae singulorum hominum seu ius naturae in specie et ius gentium sunt vnum idemque. Quatenus autem indiuiduum humanum et gens inter se differunt, eatenus etiam a singulorum hominum iure naturali distat ius gentium.

I. Differt ius gentium a iure naturali singulorum hominum non vt a specie genus; sed vt a conspecie conspecies.

## §. 900.

Praeter ipsam vero gentem aliae etiam personae iure gentium gaudent et reguntur: summus scilicet imperans et eius mandatarius legatus.

## §. 901.

## §. 901

Quod primum ad summum imperantem attinet, ille est in statu naturali (§. 785.), et ex pacto subiectionis nactus est iura maiestatica transeuntia (§. 686.) hoc est curat salutem publicam ciuitatis suae ratione exterorum, ideoque instructus est iis iuribus et obligationibus erga alias gentes, quibus tota ciuitas sua gaudet. Ergo summus imperans habet iura gentis.

1. Iura itaque maiestatica transeuntia sunt iura gentis in gentem.

2. Qui nomine alterius eiusdem iuribus gaudet et obligationibus tenetur, dicitur alterum *repraesentare*. Hinc summus imperans habet iura et obligationes gentis, quia gentem repraesentat.

## §. 902.

Infinita cogitari possunt, quae inuicem inter gentes intercedunt negotia. Haec omnia vt gens vel summus imperans ipse pertractent cum alia gente, fieri nequit. Hinc aliis personis haec negotia demandanda, unde originem traxere *legati*, qui sunt subditi a gente, cui parent, ad aliam gentem missi, vt nomine illius negotium cum hac tractent.

## §. 903.

Gens mittens transfudit in legatum ius, quod sibi competit, negotium cum alia gente

te tractandi. Itaque legatus ob negotium sibi commissum iisdem iuribus fruitur iisdemque obligationibus tenetur, quibus muniretur et adstringeretur gens mittens, si ipsa negotium executura fuisset. Itaque legatus intuitu negotii sibi commissi etiam *repraesentat gentem*.

## §. 904.

Hinc oritur status legati quatenus gentem repraesentat, qui vocatur *character repraesentatitius*.

## §. 905.

Legato respectu negotii commissi inhaerent iura et obligationes gentis suae non tantum intuitu gentis, ad quam mittitur; sed etiam intuitu omnium reliquarum gentium (§. 903.).

## §. 906.

Itaque character iste repraesentatitius per uniuersum sese extendit terrarum orbem (§. 905.) et illius intuitu legatus iure gentium gaudet et tenetur.

## §. 907.

Principium iuris gentium adaequatum est illa ipsa omnis iuris humani norma ad  
gen-

gentis conceptum applicata: *Ne turbet gens gentis conseruationem, seu: gens suam cuique genti tribuat.*

## §. 908.

Ex hac lege perfecta descendit

1. obligatio cuiuslibet gentis perfecta ad non turbendam alterius gentis conseruationem,

2. ius cuiuslibet gentis ad sese conseruandam, hoc est facultas gentis, eo casu, si conseruatio eius turbetur, nata, cogendi gentem, vt a turbatione abstineat.

## §. 909.

*Ius gentium est vel vniuersale, quod ex ipso gentis conceptu ad ius mere naturale applicato deriuatur, vel positium seu practicum, quod ex usu plurium gentium est enatum. Vniuersale ius gentium hic loci considerare duntaxat mens est.*

## §. 910.

*Ius gentium vniuersale pariter atque ius singulorum hominum naturale immutabile, aeternum et indispensable esse, quis est qui inficiari audeat?*

## §. 911.

## §. 911.

Quodsi tamen collidit officium gentis in gentem perfectum cum conseruatione gentis totali: gens ex ratione status extraordinarii recte vritur fauore necessitatis, atque negligit officium perfectum, vt salutis suae consulatur (§. 206.).

## §. 912.

Gentium erga se inuicem iura et obligationes omnes inuoluunt ideam sui. Suum considerari potest vel ante laesionem vel in laesione. Si gentium suum seu iura et obligationes inuicem consideraueris ante laesionem; habes statum gentium, quo in pace viuunt: si in laesione; habes statum gentium, quo bellum inuicem gerunt. Hinc ius gentium commode in *ius pacis et ius belli* dispelcitur.

## §. 913.

Suum ipsum remoto laesionis conceptu duplex cogitari potest. Aliud quod gens absque facto suo tenet, aliud quod mediante facto suo habet. Illud respondet suo connato, hoc suo adquisito. Vnde ius gentium pacis duplex est, *absolutum et hypotheticum* (§. 234.).

S

CA-

## CAPVT II.

## IVS GENTIVM ABSOLVTVM.

## §. 914.

**V**ti homini indiuiduo ius in vitam et actiones suas: ita et genti integrae in actiones suas et in id, quod respondet vitae suae, ius est.

## §. 915.

Singuli ciuitatis socii sunt membra gentis, et perduratio ciuitatis seu perduratio eius pacti, quo societas ciuilis fuit constituta, respondet vitae singularis hominis.

## §. 916.

Singuli itaque subditi, ciues, societates simplices, familiae, collegia, vniuersitates, personae, quibus imperium summum delatum, sunt suum gentis. In harum personarum omnium indiuiduarum et mysticarum conseruationem genti ius est, easque qui quali demum cumque ratione laedit, violat gentis suum.

## §. 917.

In conseruationem pacti vnionis atque subiectionis consequenter nexus, quo ciuitatis membra inuicem cohaerent, ius est genti. Quicumque igitur hunc nexum destruire, immutare, formam regimis euertere, iura  
maie-

maiestatica principis imminuere, iura ordinum vel singuli ciuis infringere conatur: gentem laedit.

Ius itaque gentis dethronisandi summum alterius gentis imperantem est spurium.

§. 918.

Actiones gentis complectuntur omnes actiones singulorum ciuium tum qua hominum tum qua ciuium, nec minus actiones integrae gentis seu eius *negotia publica*. In omnes has actiones, quatenus iis altera gens non laeditur, ius est genti (§. 237.).

Negotia gentis, quae concernunt nexum civilem, sunt negotia domestica. His sese immiscendi nulli alii genti ius competit.

§. 919.

In statu gentium absoluto omnia gentis in gentem iura omnes mutuae obligationes sunt plane eadem (§. 241.). Hinc nulli genti est ius melioris loci intuitu ordinis cum altera gente, quod vocant *ius praecedentiae*.

1. Praecedentia multis sese modis exerit in stando, sedendo, procedendo, verbis et ore prolatis et scripto consignatis aliisque symbolis.

2. Vbicumque alicui incumbit obligatio expectandi, donec alter determinauerit locum,

S 2

quem



quem eligere sibi placuerit: ibi alter habet ius praecedentiae.

3. Magnifice olim ad stabiliendam praecedentiam iactata: potestas maior, virtus insignior, artium et scientiarum cultura potior, religio purior, forma imperii excellentior, respublica antiquior, regnorum pluralitas, honor ab aliis gentibus exhibitus eminentior et quae sunt reliqua, quae nostris temporibus iacent fere prostrata.

§. 920.

Ob aequalitatem et libertatem naturalem gentium nulla sibi in alteram imperium arrogare, aut sese arbitrum litis aliarum gentium obtrudere potest. Exulat inter gentes lex imperantis, iurisdictio, forum, iudex, sententia, poena. Gentem habere pro teruis, bellum gerere punitivum nefas.

§. 921.

Competit denique genti cum reliquis omnibus existimatio bona simplex. Hinc uti et honorem simpliciter et maiorem praecetera gente honorem iniuste adfectat: ita quoque iniuste contemnitur. Nec pro infami habenda, nisi quae in *statu licentiae*, hoc est legibus perfectis soluto versatur.

§. 922.

Haec ad legatum applicanda. Legatus respectu quidem gentis mittentis est subditus

tus: est respectu omnium aliarum gentium est in statu naturali.

§. 923.

Comitatus legati seu personae, quarum ministerio legatus vitur in obeunda legatione, sunt pars legationis et a legato ipso non differunt, nisi vt a principali accessorium, ideoque eodem cum ipso legato iure vtuntur. Respectu gentis mittentis ablegati comitatus sunt subditi; aliarum gentium intuitu sunt in statu naturali.

§. 924.

Legato et comitatu eius iura status naturalis ab omni alia gente sunt tribuenda, quam primum genti innotescit, hanc personam esse legatum, has personas esse ex comitatu legati.

§. 925.

Quaecumque gens legatum, quem talem esse nouit, laedit: ea gentem mittentem laedere intelligitur. Hanc immunitatem legati a laesione, quatenus ex eiusmodi laesione gens mittens ipsa laesa iudicatur, dicunt *inviolabilitatem legati*.

§. 926.

Ob hunc statum naturalem legati

1. nulli alii genti ius est in vitam et actiones iustas legati,

S 3

2. nec

2. nec genti competit ius praecedentiae intuitu legati,

3. nec iura gentis in legatum sunt maiestatica; sed simpliciter mere naturalia. Unde nec iurisdictioni alius gentis subest legatus: quae immunitas legati à iurisdictione alterius gentis dicitur *sanctitas* seu *sanctimonia legati*.

§. 927.

Ceterum facile intelligitur, genti competere ius acquirendi, occupandi, paciscendi, et quae demum cumque tribuit natura hominibus singulis iura, ex quorum exercitio quum oriatur suum gentis quaesitum; illud in capite sequenti nunc perlustraturi sumus.



CAPVT III.  
 IVS GENTIVM HYPOTHE-  
 TICVM.

§. 928.

**G**entem absque rebus propriis cogitare velle, chimaericum est. Quaecumque res mobiles vel immobiles ante constitutam ciuitatem singulis priuatis et familiis propriae factae, ex oriente ciuitate respectu exterorum sunt in dominio gentis.

§. 929.

Ex praediis potissimum priuatorum ledes fixa ciuitatis enata, enatum gentis territorium (§. 688.). Itaque territorium est in gentis dominio.

§. 930.

Gens qua domina territorii sui habet ius  
 1. quamcumque vtilitatem ex territorio suo capiendi,

2. libere de eodem disponendi,

3. exteros quoslibet ab eo arcendi.

§. 931.

Quidquid intra *limites* seu particulas extremas territorii reperitur, et ante constitutam ciuitatem fuit nullius: id omne per

S 4

pactum

pactum subiectionis iudicatur a gente occupatum, et transit in gentis dominium.

§. 932.

Huius rei ratio inde petenda. Gentis maxime interest, ne quid reperiatur intra limites territorii et in ipsis visceribus reipublicae, quod summo imperio non sit subiectum. Itaque pactum subiectionis continet factum, ex quo secure concluditur, velle gentem, ut id omne, quod intra limites territorii existit, et adhuc fuit nullius, fiat summo imperio obnoxium, ideoque intuitu exterorum fiat sibi proprium. Ergo illud omne a gente tacite est occupatum.

§. 933.

Itaque res, quae intra limites territorii continentur, et intuitu civium sunt nullius, intuitu exterorum sunt res propriae gentis. Ergo horum respectu intra territorium non datur res occupabilis: omnia dominio gentis eminenti subiecta.

§. 934.

Complectitur territorium tractum et terrae et aquarum, quidquid super et supter hunc tractum reperitur, quidquid vel *naturae* beneficio in eo existit vel nascitur, silvas, montes, prata, riuos, flumina, lacus, maria, cum accessoriis, ut sunt bruta, ferae,

ferae, aues, metalla, mineralia, terrae fructus, pisces, cet. vel quidquid accedens hominum *industria* in territorio produxit, ut sunt agri, horti, vineae, aedificia, vicci, castella, vrbes cet. vel quae *casu* intra territorium natae, aut in illud delatae fuerunt.

§. 935.

Ex iure gentis in territorium suum colligitur

1. nullam gentem intrare vel transire alienum territorium, aut
2. ullam ex alieno territorio utilitatem capere posse, nisi consentiente ea gente, quae territorii domina est.

Vnde corrui totum *innocentiae utilitatis* principium.

§. 936.

Praeter acquisitiones has rerum intra territorii fines existentium gens et occupatione extra territorium et pacto suum legitime auget.

§. 937.

Vt gens iuste occupet, requiritur

1. res domini capax,
2. res nullius,
3. actualis apprehensio cum animo rem eam sibi habendi propriam.

## §. 938.

Ex primo colligitur, rem exclusionis impatientem occupari non posse. Ergo oceanus est liber.

## §. 939.

Ex altero patet, terram a populo inhabitatam occupari non posse: licet iste populus sit rudis et incultus, sine legibus et regimine ciuili, omnis de diuinitate cognitionis moralitatisque expertus, qui per ignorantiam atque barbariem suam fertilissimo solo bonisque aliis quam pluribus uti nesciat, ideoque bona sua vñibus generis humani subtrahat.

## §. 940.

Ex ultimo elucet, solo animo et voluntatis nuda declaratione rem non occupari. Ergo si gens declarat, se quemdam terrae incultae tractum insulamue occupare velle, alia vero gens postea prior sit apprehensione: hanc occupauisse, non illam, in aprico est.

## §. 941.

Quantum quaeque gens manifestis signis occupauit, tantum adquisiuit.

## §. 942.

Gentibus porro competit ius paciscendi.  
Pacta

Pacta gentium qua talium dicuntur etiam  
*pacta publica seu conventiones publicae.*

1. Unde liquet, differre conventiones gentium a pacto principis cum subditis suis,

2. a pacto principis cum exteris privatis qua talibus.

§. 943.

Conventiones publicae quo sint validae, atque ideo iura et obligationes inter duas gentes producant necesse est, vt requisita pacti validi contineant.

§. 944.

Ergo conventio eiusmodi est nulla, si deest verus gentis consensus, quo pertinet

1. pactum nomine gentis initum ab eiusmodi principe, qui ad consensum procerum per leges fundamentales tenetur,

2. pactum subditi vel cuiuslibet exteri, nomine gentis initum absque eius mandato, quo refer *sponsorum*.

§. 945.

Contra conventio publica est iniusta; si dolo malo superstructa, vel vi iniusta fuit extorta. Haec in thesi verissima; in casu vero singulari infinitis plerumque tricis adeo iniquata, vt in dubio ratio militet pro validitate.

§. 946



## §. 946.

Ex conventionione publica iusta quaeritur genti ius, contrahitur genti obligatio. Gens est societas perpetua, et manet eadem persona moralis; licet summus imperans moriatur, vel alia quacumque ratione mutetur siue imperantis persona siue regiminis forma. Hinc omnis conventio publica, nisi contrarium expresse stipulatum, vel ex ipso facto clarissime eluceat, est in omne aetum duratura, et dat iura, tribuit obligationes in omnem posteritatem transmissibiles.

## §. 947.

Conventionionum publicarum species est *foedus*, id est pactum gentium sociale.

Foederis tamen vox saepe latius et pro omni conventionione publica sumitur.

## §. 948.

Foederum alia continent

1. pactum beneficium vel onerosum
2. quae onerosum; vel aequalem vel inaequalem praestationem mutuam,
3. pactum perpetuum vel temporarium,
4. belli vel commerciorum communitatem, vel quaevis alia negotia socialia concernere possunt. Hinc *foedera* dicuntur *gratuita* vel *onerosa*, *aequalia* vel *inaequalia*,

*lia, perpetua vel temporaria, foedera bellica, commerciorum cet.*

§. 949.

Legatus iuribus gentis fulget. *Suppellex et vasa* eius, et quascumque res secum aduehit, non sunt res subditi, nec obnoxiae legibus priuatis alterius gentis.

§. 950.

Nec minus aedes a legato habitatae gentis, suae mittentis repraesentant territorium, ideoque sanctae et inuiolabiles.

§. 951.

E contrario legatus intrare alterius gentis territorium, aut transire per illud absque huius consensu pariter atque gens ipsa mittens prohibetur (§. 935.). Ideoque ius aditus et transitus legato competens non ex iure absoluto; sed ex pacto est repetendum.

Hinc *litterae comitatus liberi*, quibus legatus muniri solet, et quae consensum gentis in aditum vel transitum legati demonstrant, ortae.

§. 952.

Similiter vt *admittatur* legatus ab alia gente, id est vt ei facultas tribuatur exponendi  
nendi


nendi ipsi negotium sibi demandatum: non est iuris absoluti; sed pactitii. Ergo legatus iuste recusari potest.

§. 953.

Quamobrem et genti cuilibet integrum est, conditiones imponere legato, sub quibus ei transitum vel admissionem concedere velit.

§. 954.

Legati mittuntur, ut negotium gentis suae cum alia gente pertractent. Hoc ius legatorum supponit *mandatum* gentis suae, ut cuius legatus cum gente sua mittente unam personam repraesentat, adeo ut quidquid cum alia gente respectu negotii suae fidei commissi tractet, id gens ipsa mittens tractare intelligatur. Hinc pactum legati cum gente alia est conventio publica, ex qua gens sua et obligatur et iura acquirit.



CAPIT

## CAPVT. IV.

## IUS BELLIGENTIVM.

SEV

DE MODO IUS SVVM PROSEQVEN-  
DI. INTER GENTES.

§. 955.

**S**i gens laeditur; a gente laesa nanciscitur contra laedentem ius belli actuale (§. 460.). Ius belli gentis est simul ius summi imperantis maiestaticum respectu ciues suos subditos. Inde *Bellum* quod a gente geritur, vocatur *publicum* seu *sollemne*, cui oppositum est *priuatum*, quod ab eo, qui non est gens aut summus imperans, geritur.

§. 956.

Gens aequae iuste bellum infert contra laesionem imminentem ac contra illatam et praesentem (§. 475.). Ad imminentem non referenda praepotentia gentis per se; sed omnino ea praepotentia, quae in vicinarum gentium perniciem probabiliter et iniuste contendit, et dicitur *tremenda*. Haec probabilitas et factis colligitur, e. g. si gens vicina innocenter opprimitur.

§. 957.

## §. 957.

Quum posita laesione statim existat ius belli actuale: consequens est, vt declaratio gentis expressa de bello alteri genti inferendo, id est *indictio belli* siue per legatos siue scripto facienda non sit necessaria, ita vt bellum absque declaratione eiusmodi praeuia illatum ea propter praedicari possit iniustum.

## §. 958.

Hosti iusto in hostem omnia licent, quaecumque ad obtinendam plenariam securitatem facere possunt (§. 463. et 485.). Itaque omnis coactio occulta et manifesta, omnis violentia iusta.

Igitur et pactorum ante bellum initorum validitas exorto bello iusto tollitur.

## §. 959.

Inde concipitur ius in hostium tum personas tum res.

## §. 960.

Quod ad personas hostis attinet, omnis is iudicandus est hostis, quicumque in numero est ciuium et subditorum gentis hostilis

stilis, ideoque etiam exteri priuati intra fines hostium degentes.

§. 961.

Hi omnes iuste offenduntur, interficiuntur, capiuntur. Captiui et dediti sine conditione manent hostes, nec sola captiuitas aut deditio simpliciter talis excludit potestatem illam hostis in hostem. Media nocendi an sint violenta, vtrum occulta, aeque minus iniusta.

§. 962.

Hostis siue intra gentis suae territorium siue quocumque alio loco reperiat, recte vt hostis tractatur, modo lex alieni et amici territorii non obstet (§. 935.).

§. 963.

Pariter et in res hostium omne ius patet hosti iusto, deuastare hostium territorium, eripere vel corrumpere res mobiles et immobiles, religiosas, sacras et saeculares, vubicumque locorum reperiantur, modo extra limites gentis amicae sint constitutae.

§. 964:

Ex iure in hostes victos sequitur et imperi-

T

peri-

perium, ex iure autem in res captas dominium adquiri.

§. 965.

Haec omnia in bello iusto iusta sunt eatenus, quatenus ad recuperandum securitatis plenariae statum conducunt. Hos limites qui transgreditur, euadit hostis iniustus (§. 486.). Sed quis in hac rerum omnium perturbatione vniuersali fines iusti et iniusti certos figere audebit?

§ 966.

De *auxiliatore hostis et neutralitate* praecipua iam supra indicauimus, sed de *fide* inter hostes quaedam addenda.

§. 967.

Hostis homo esse non definit. Itaque iurium humanorum capax manet, consequenter et pacta, quae intuitu belli sunt iniusta, hosti sunt seruanda.

§. 968.

Id genus pacta alia ante bellum, alia durante bello lanciuntur.

§. 969.

Pacti ante belli orti obligatio non aliter exorto bello perdurat, quam vbi in casum belli

belli id pactum valere quoque debere con-  
fenserint paciscentes. Cetera pacta omnia,  
vt diximus (§. 957.) cum bello expirant.

§. 970.

Pacta durante bello inter hostes inita vel  
tollunt bellum vel imminuunt.

§. 971.

Tollitur bellum eo pacto, quo pax san-  
citur. Imminuitur bellum *pactis*, quae in  
specie *bellica* appellantur, atque sunt pacta  
durante bello ita inita, vt quidem vis belli  
imminuatur, bellum tamen perduret.

§. 972.

Pacta bellica sunt vel *uniuersalia* vel *par-  
ticularia*.

§. 973.


*Pacta bellica uniuersalia* sunt, quibus to-  
ta vis bellica ad tempus cessat. Eiusmodi  
conuentio vocatur *induciae*.

§. 974.

Reliqua *pacta bellica* omnia sunt *particu-  
laria*, atque iis vis bellica vel quoad certa  
loca aut prouincias, vel quoad certas per-  
sonas, vel quoad certum negotium aut tol-  
litur aut suspenditur. Vnde nascuntur: pa-  
ctum de *neutralitate* loci aut prouinciae

T 2

hosti-





hostilis, pactum *deditionis*, pactum *dere-*  
*dimendis* et *permutandis captiuis*, seu pa-  
 ctum de *lytra*, *litterae liberi comineatus*, *ar-*  
*mistitia* ad sepeliendos mortuos, ad pertra-  
 ctandam *deditionem*, cet.

## §. 975.

Haec pacta omnia sunt obligatoria, qua-  
 tenus auctoritate publica sanciantur. Ergo  
 quae auctoritate hac carent, vt sunt *spon-*  
*siones*, id est pacta, quae nomine gentis abs-  
 que eius auctoritate sanciantur, nihil ope-  
 rantur. Immo sponsor subditus poenam in-  
 terdum meretur, nisi necessitatis favore  
 se se tueri possit.

## §. 976.

Reliqua, quae bellum inter gentes concer-  
 nunt, aut ex superioribus facili negotio  
 eruuntur, aut magis pertinent ad *ius gen-*  
*tium Europaeorum practicum*, quod Deo au-  
 xiliante his positionibus propediem iunge-  
 tur: quam ad *ius gentium vniuersale*, cuius  
 nunc quidem hic ponitur

F I N I S.



IN-





# I N D E X.

## A.

<i>Abusus virium</i> , §. 154	<i>Adquirendi modus</i> ori-
<i>Abutendi ius</i> , 320	ginarius, 302. et de-
<i>Academias</i> condendi	riuationis, 350
ius, 720	<i>Aemuli regni</i> , 786
<i>Acceptare</i> quid sit? 335	<i>Aequalitas</i> naturalis,
<i>Acceptilatio</i> , 450	245. sq.
<i>Accessio</i> , 317. sq.	<i>Aestimare</i> , quid sit? 383.
<i>Accessorium</i> , 315. sq.	<i>Agere</i> quid sit? 1
<i>Achaicae</i> republ. 784	<i>Aggressor</i> , 482
<i>Aetio</i> moralis, 12	<i>Alca</i> . Contractus aleam
<i>Actiones</i> in genere, 2 sq.	contingens, 397. sq.
<i>Actiones voluntatis</i> 10. sq.	<i>Alienandi ius</i> , 321
<i>Actiones liberae</i> interne,	<i>Alienatio</i> , 363
§6. et externe, 59	<i>Alienum</i> quid sit? 216. 262
<i>Actiones morales</i> , 60	<i>Alterna</i> promissio, 374
<i>Actiones externae</i> vel	<i>Amicabilis</i> compositio,
<i>internae</i> , 67	529
<i>Actionis auctor</i> , quis	<i>Amittere</i> rem, quid sit?
vocetur? 92	292
<i>Adfectus</i> , 40	<i>Anarchia</i> , 656
<i>Adiutorium</i> mutuum,	<i>Anima</i> humana, quibus
596	legibus agat? 5. sq.
<i>Administratio</i> reipubli-	eius essentia, vis et
<i>cae</i> , 685. sq.	natura, 20
<i>Adprehendere</i> rem, quid	eius facultates reprae-
sit? 280	sentatiua 29. sq. et
<i>Adquirendi</i> modus, 298	appetitiua. 31
sq.	<i>Appetitus</i> , 37
	sensi-

# I N D E X.

<i>sensitivus vel ratio-</i>	<i>Ciues,</i>	658. sq.
<i>nalis,</i>	<i>Ciuitas,</i>	657. sq.
<i>Arbiter,</i>	<i>Coactio absoluta vel hy-</i>	
<i>Arbitrator,</i>	<i>pothetica,</i>	70
<i>Arbitrium,</i>	<i>Cogere, quid sit?</i>	69
<i>Aristocratia,</i>	<i>Collegia,</i>	680, 868
<i>Artificiales res,</i>	<i>Collisio legum,</i>	115. sq.
<i>Auctor actionis quis sit?</i>	<i>Collisio officiorum,</i>	201. sq.
	<i>Comitia,</i>	775
<i>Auersatio,</i>	<i>Commodatum,</i>	378. 831.
<i>sensitiua vel rationa-</i>	<i>Commune quid sit?</i>	270.
<i>lis,</i>		279.
<i>Auxiliator hostis,</i>	<i>Communio primaeva,</i>	
	<i>270, negatiua,</i>	275,
<i>Auxilium,</i>	<i>positiua,</i>	279
	<i>Compensatio,</i>	451
<b>B.</b>	<i>Compromissum,</i>	525. sq.
<i>Bellum quid sit?</i>	<i>Conditio,</i>	368. sq.
<i>Belli ius in statu na-</i>	<i>Condominium,</i>	329. sq.
<i>turali,</i>	<i>Coniuges,</i>	596. sq.
<i>468. sq. in sta-</i>	<i>Consensus variorum,</i>	
<i>tu ciu. 883. inter gen-</i>	<i>quid sit?</i>	32
<i>tes,</i>	<i>Consensus verus,</i>	337. iu-
<i>955. sq.</i>	<i>stus,</i>	338
<i>Bona f. patrimonium,</i>	<i>Consensus verus vel ex-</i>	
<i>327</i>	<i>pressus vel tacitus, fi-</i>	
<i>Bonum quid sit?</i>	<i>ctus seu praesumptus,</i>	
<i>9. 34</i>		358. 822
<i>Bonum absolutum, vel</i>	<i>Consentire, quid sit?</i>	335
<i>comparatiuum,</i>	<i>Conserua te. Lex nat.</i>	182
<i>35</i>	<i>Conseruationem aliorum</i>	
<i>Bonum commune,</i>	<i>ne turbes, Principi-</i>	
<i>539</i>	<i>um iuris naturae,</i>	213
<b>C.</b>		<i>Con-</i>
<i>Capitulatio,</i>		
<i>737</i>		
<i>Causa ciuilis,</i>		
<i>819</i>		
<i>Causa moralis,</i>		
<i>161</i>		
<i>Cautio quid sit, et quo-</i>		
<i>tuplex?</i>		
<i>401. sq.</i>		
<i>Cessio,</i>		
<i>457</i>		

# I N D E X.

<i>Consuetudo,</i>	694	<i>Democratia,</i>	773
<i>Contemptus,</i>	255	<i>Deposicum,</i>	379
<i>Contingens,</i>	52	<i>Deprecatio,</i>	495
<i>Contractus,</i>	388, sq. 830	<i>Derelinquere, quid sit?</i>	290
<i>Contractus</i> quomodo orientur et decidan- tur in statu nat? 506. sq.		<i>Despotica societas,</i>	572. sq.
<i>Contumelia,</i>	255	<i>Diligentia,</i>	147
<i>Couitium,</i>	255	debita s. legitima,	149
<i>Copulatiua promissio,</i>	374	<i>Dispensatio,</i>	700
<i>Coronatio,</i>	759	<i>Dissensus mutuus,</i>	449
<i>Corpus hominis actio-</i> <i>nibus edendis adap-</i> <i>tatum,</i>	28	<i>Diuortium,</i>	605
<i>Creditor, quis sit?</i>	359	<i>Dolus,</i>	129
<i>Crimen,</i>	817	<i>Dolus pactum vitiat,</i>	354
<i>Criminale ius,</i>	871. sq.	<i>Domestica societas,</i>	644. sq.
<i>Culpa,</i>	129	<i>Domestici,</i>	465
<i>Cumberland, Rich.</i>	26	<i>Dominica potestas,</i>	636
<b>D.</b>		<i>Dominium,</i>	306
<i>Damnus quid sit?</i>	217	<i>Dominium restrictum s.</i> <i>minus plenum,</i>	324
<i>Damnnum illatum, prae-</i> <i>sens, imminens,</i>	474	<i>Dominus utilis vel dire-</i> <i>ctus,</i>	324
<i>Damnnum reparandum.</i>		<i>Donatio,</i>	378-831
Lex perfecta,	218	<b>E.</b>	
<i>Debitor, quis sit?</i>	359	<i>Ecclesia,</i>	721
<i>Debitum liquidum vel</i> <i>illiquidum,</i>	508. sq.	<i>Educandi ius,</i>	615
<i>Debitum. Ultra vel infra</i> <i>debitum quis agat?</i>	152	<i>Educare, quid sit?</i>	596
<i>Defensor,</i>	482	<i>Electio imperantis,</i>	746. sq.
<i>Delegatio,</i>	456	<i>Electitium regnum,</i>	747. sq.
		<i>Eligere, quid sit?</i>	744
		<i>Emancipatio,</i>	625
		<b>T A.</b>	<i>Em-</i>

# I N D E X.

<i>Emtio venditio</i> , 396. 831	<i>Fictus consensus</i> , 358
<i>Error</i> , quid sit?	<i>Fides</i> quid sit? 362
<i>Error</i> , quando pactum vitiet? 347	<i>Fides coniugalis</i> , 604. sq.
<i>Euietio</i> , quando praestetur? 499	<i>Fideiussio</i> , 405
<i>Existimatio</i> 252. sq.	<i>Finis</i> , 155
<i>Exceptio</i> in collisione legum, 711	primarius, secundarius; directus vel indirectus, 136
<i>Exceptiones</i> in processu, 891	<i>Finis communis</i> , quid sit? 536
<i>Expromissio</i> , 456	<i>Fiscalis</i> , 796
<i>Executio</i> legum, 701. sq.	<i>Foedera</i> inter gentes, 348. sq.
<i>Exteri</i> , 659	<i>Formae rerump.</i> 744. sq.
F.	mixtae, 780
<i>Factum</i> quid sit? 122	<i>Fornicatio</i> , 596. 860
morale, vel uon morale, 122	<i>Forum competens</i> , 886
commissiuum vel omissiuum, 123	<i>Fructus</i> , eorumque diuisiones, 314
rectum, vel ininus rectum, 125	<i>Fruendi ius</i> , 320
<i>Factum</i> , quomodo imputetur? 159. sq.	G.
<i>Factum illicitum</i> , 817	<i>Gens</i> , 659. 895. sq.
<i>Factum obligatorium</i> , 818	<i>Graecorum Philosophorum ius naturae</i> , 24
<i>Facultas</i> quid sit? 177	<i>Grotius</i> , Hugo, 25
<i>Facultas moralis</i> , 177	H.
<i>Fama</i> in statu nat. 252. sq.	<i>Hemmingius</i> , Nic. 25
<i>Familia</i> , 644. sq.	<i>Hereditas</i> , in statu nat. 421. sq. in statu ciu. 834. sq.
<i>Famulus</i> , 629	<i>Herilis societas</i> , 629. sq. 866
<i>Fauor necessitatis</i> 205. sq.	<i>Herus</i> , 609
	<i>Histo-</i>

I N D E X.

<i>Historia iuris naturae,</i>	<i>Incorporatio rerump.</i>	783
23. sq.	<i>Indemnitas,</i>	478
<i>Hobbesius, Thom.</i>	<i>Independentia</i> ab impe-	
26	riō in statu naturali,	
<i>Homo agit corpore et a-</i>		248. sq.
<i>nima,</i>	<i>Indifferentes</i> actiones	
5. sq. 28. sq.	an dentur?	65. sq.
<i>Homo. Eius status,</i>	<i>Induciae</i>	972
72. sq.	<i>Industriales res,</i>	276
<i>Homo. Suum eius in sta-</i>	<i>Infamia</i> in statu nat.	254
<i>tu naturali connat-</i>	<i>Inferior, quis sit?</i>	244
<i>tum,</i>	<i>Inferior</i> in societate,	569
235. sq.	<i>Iniuria</i> in genere,	224
<i>Honor, quid sit?</i>	<i>Instinctus,</i>	41
253	<i>Intellectus. Eius lex:</i>	
<i>Honores conferendi ius,</i>	quaere verum.	6
723	<i>Intentio,</i>	135
<i>Honoris declaratio,</i>	primaria, secundaria,	
495	directa, indirecta,	136
<i>Hostis quis sit?</i>	<i>Interitus rei,</i> quando ob-	
468.	ligationem perimat?	
985. sq.		442
<i>Hypotheca,</i>	<i>Interpretatio</i> authenti-	
406. 831	ca,	698
I.	<i>Interregnum,</i>	752
<i>Iacere rem, quid sit?</i>	<i>Inuite</i> agere, quid sit?	69
291	<i>Iocus</i> pacto repugnat.	351
<i>Ignominia,</i>	<i>Iudicia,</i>	716. 882. sq.
255	<i>Iura maiestatica,</i>	686. sq.
<i>Ignorantia, quid sit?</i>	<i>Iuramentum,</i>	407. sq.
77	<i>Iurisdictio,</i>	885
<i>Impedimentum,</i>	<i>Ius</i> complexus legum,	
138		18. 209
<i>Imperfectio, quid sit?</i>		
33		
<i>Imperans</i> in genere quis		
fit? 569 in ciuitate,		
658		
<i>Imperium, quid sit?</i>		
568		
<i>Imperium ciuile,</i>		
670		
Eius iura,		
685. sq. li-		
mites,		
733		
<i>Imperium</i> in statu natu-		
rali exsul,		
343		
<i>Impubes,</i>		
625		
<i>Imputare</i> quid sit?		
156		
<i>Imputatio moralis,</i>		
158		

# INDEX

<i>Ius civile</i>	802. sq.	<i>Ius perfectum.</i> Ei semper respondet obligatio,	222
<i>Ius criminale,</i>	871. sq.	<i>Ius quaesitum,</i>	430
<i>Ius gentium,</i> 660. 898. sq. vniuersale vel positium	909	<i>Ius rerum vel personarum,</i>	823
<i>Ius naturale vel positium,</i>	210	<i>Ius vitae et necis,</i> in seruum, 641. in subditos in statu ciu.	795
<i>Ius naturae,</i>	20	<i>Iustitia vel iniustitia actionum,</i>	219
Eius distributio, 21. sq. et historia,	23. sq.	<i>Iustus vel iniustus, quis sit?</i>	219.
<i>Ius naturae.</i> Absolutum vel hypotheticum, 234		K.	
<i>Ius naturale,</i> quid sit? 211		<i>Koelerus,</i> Henr.	27
<i>Ius naturae,</i> totis legibus perfectis continetur,	220	L.	
<i>Ius naturae,</i> eius principium,	212 sq.	<i>Laede neminem.</i> Lex perfecta,	214
<i>Ius naturae,</i> omnes homines obligat,	230	<i>Laesa maiestas,</i>	791
<i>Ius naturae.</i> Eius distributio specialis,	233 sq.	<i>Laesio,</i> quid sit?	214
<i>Ius priuatum,</i> 661. 800. sq.		<i>Laesio moralis vel non moralis; culpa vel dolosa,</i>	224
<i>Ius publicum</i>	661	<i>Laesio praeterita, praesens, imminens,</i>	473
<i>Ius sociale,</i>	542. sq.	<i>Laudum,</i>	525. sq.
<i>Ius vniuersale,</i>	19	<i>Lans,</i>	253
<i>Ius ceu facultas moralis,</i>	182	<i>Legata,</i>	841
<i>Ius adfirmatiuum vel negatiuum,</i>	261	<i>Legatus,</i>	620. sq.
<i>Ius ad rem vel in re,</i>	832	<i>Leges naturales vel positivae,</i>	108
<i>Ius circa sacra,</i>	721	<i>Leges imperii fundamentales,</i>	728. sq.
<i>Ius pacis et belli,</i>	1912	<i>Leges</i>	

# I N D E X.

<i>Leges inter se colliden-</i> <i>tes,</i>	115	<i>Maieftatis laefae cri-</i> <i>men,</i>	791
<i>Leges poftivae, 689. fq.</i>		<i>Maiorennis,</i>	625
<i>Leges fubordinatae, 112</i>		<i>Malum, quid fit?</i>	34
<i>Legiflatoria poteflas</i>	787	abfolutum vel com-	
	1q.	paratium,	35
<i>Legitima,</i>	840	<i>Mancipia,</i>	855
<i>Lex in fenfu generalis-</i> <i>fimo,</i>	4	<i>Mandatum,</i>	379
<i>Lex moralis, 12. 105</i>		<i>Manumiffio,</i>	638
<i>Lex moralis in fpecie</i> <i>fic dicta,</i>	18	<i>Matrimonium, 596. fq.</i> <i>in ftatu ciu. 859. fq.</i>	
<i>Lex univcrfalis,</i>	19	<i>Mediator,</i>	524. fq.
<i>Lex moralis, praecepti-</i> <i>va, vel prohibitiua, 106</i> <i>an detur permiiffiua,</i>	106	<i>Menfurare quid fit?</i>	383
		<i>Meritum quid fit?</i>	157
<i>Lex perfecta,</i>	187	<i>Metus pactum vitiat,</i>	355
<i>Lex perfecta, in fpecie</i> <i>fic dicta,</i>	209	<i>Militia,</i>	714. 1q.
<i>Lex fcripta vel non fcri-</i> <i>pta</i>	692	<i>Minorennis,</i>	625
<i>Libertas mentis,</i>	54	<i>Moderamen inculpatae</i> <i>reuelae,</i>	494
<i>Libertas ab imperio na-</i> <i>turalis,</i>	248. fq.	<i>Modus ius fuum perfe-</i> <i>quendi,</i>	234
<i>Libertus,</i>	638	<i>Monarcha</i>	742
<i>Licere quid dicatur?</i>	199	<i>Monarchia,</i>	745
<i>Licitum vel illicitum, 199</i>		<i>Moralis actio,</i>	12
<i>Lites in ftatu nat. 506. fq.</i>		<i>Moralis lex,</i>	105
<i>Locatio conductio,</i>	396	<i>Moralis obligatio,</i>	81
M,		<i>Moralis facultas,</i>	117
<i>Magiftratus,</i>	716	<i>Moralis imputatio,</i>	156
<i>Maieftatica iura, 686. fq.</i>		<i>Moralis laefio,</i>	224
		<i>Moralis perfectio,</i>	251
		<i>Moralitas actionum, 60</i> <i>extrinfeca vel intrin-</i> <i>feca,</i>	61
		<i>Mors</i>	



# I N D E X.

<p><i>Mors</i> quatenus omnia soluat, 436. sq.</p> <p><i>Motuum</i>, 49</p> <p><i>Munus publicum</i>, 704. sq.</p> <p style="text-align: center;">N.</p> <p><i>Natura</i>. Vnde ius naturae? 20</p> <p><i>Necessarium</i>, 51</p> <p><i>Necessitas</i> physica, vel moralis, 51</p> <p><i>Necessitatis favor</i>, 205. sq.</p> <p><i>Negligentia</i> 153</p> <p><i>Negotia publica</i> inter gentes, 918</p> <p><i>Neutralitas</i>, 488. sq. 965. sq.</p> <p><i>Noluntas</i>, 43</p> <p><i>Novatio</i>, 454</p> <p><i>Nuptiae</i>, 601</p> <p style="text-align: center;">O.</p> <p><i>Obligare</i>, quid sit? 80</p> <p><i>Obligatio moralis</i>, 82 positiua vel natur. 96</p> <p><i>Obligatio composita</i>, 101 maior vel minor, 102</p> <p><i>Obligatio positiua</i> vel negatiua, 86</p> <p><i>Obligatio</i>, modi eam tollendi, 436. sq.</p> <p><i>Obligatio perfecta</i>, 185</p> <p><i>Obligatio perfecta</i>. Ei respondet ius, 222</p> <p><i>Observantia</i>, 728</p>	<p><i>Occasio</i>, 139</p> <p><i>Occupatio</i> in statu nat. 281. sq.</p> <p><i>Officia</i> Quid in eorum collisione statuendum? 201. sq.</p> <p><i>Officiales</i>, 704. sq.</p> <p><i>Officium</i>, perfectum vel imperfectum, 197</p> <p><i>Operae</i>. Ex earum communicatione quae nam iura oriuntur? 535. sq.</p> <p><i>Ordines imperii</i>, 772</p> <p><i>Ordines personarum</i> in statu ciu. 813</p> <p style="text-align: center;">P.</p> <p><i>Pacta</i>. Eorum conditiones, 367. sq. adiectiones et restrictiones, 373. sq.</p> <p><i>Pacta</i>. Eorum species ac diuisiones, 376. sq.</p> <p><i>Pacta bellica</i>, 973</p> <p><i>Pacta publica</i> inter gentes, 942. sq.</p> <p><i>Pactum</i>, 333. sq.</p> <p><i>Pactum verum</i> vel nullum; iustum vel iniustum, 340</p> <p>validum vel inuvalidum, 341. sq.</p> <p><i>Pactum expressum</i> vel taci-</p>
--	---

# I N D E X.

- |  |   |
|--|---|
| <p>tacitum, 358</p> <p><i>Pactum de non petendo</i>, 450</p> <p><i>Pactum subiectionis</i>, 656</p> <p><i>Pactum successorium</i>, 424. 839</p> <p><i>Pactum unionis</i>, 655</p> <p><i>Palinodia</i>, 495</p> <p><i>Paterna societas</i> in statu nat. 607. sq. in statu ciu. 862</p> <p><i>Patria potestas</i>, 610. 862</p> <p><i>Patrimonium</i>, 327</p> <p><i>Pax</i> quid sit? 468. Eius iura inter gentes, 912 sq. 971. sq.</p> <p><i>Pecunia</i>, 387</p> <p><i>Perduellis</i>, 791</p> <p><i>Peregrini</i>, 659</p> <p><i>Perfecta lex</i>, 187</p> <p><i>Perfecta obligatio</i>, 185</p> <p><i>Perfectio</i> quid sit? 33</p> <p><i>Perfectiones morales</i>, 251</p> <p><i>Perfice te</i>. Lex prima naturalis. 9. 110</p> <p><i>Perfidia</i>, 362</p> <p><i>Periculum</i> quid sit? 465</p> <p><i>Ferivurus</i>, 414</p> <p><i>Permutatio</i>, 393. sq. 831</p> <p><i>Persona moralis</i>, 540</p> <p><i>Personarum ius</i>, 852. sq.</p> <p><i>Philosophia practica</i>, 13</p> <p><i>Philosophia practica</i>. Pars</p> | <p><i>eius ius naturae</i>, 211</p> <p><i>Pignus</i>, 406. 831</p> <p><i>Poenā</i> in sensu generalissimo, 157</p> <p><i>Pœna conventionalis</i>, 405</p> <p><i>Pœnae</i> in statu ciu. 697</p> <p><i>Pollicitatio</i>, 357</p> <p><i>Polygamia</i>, 602</p> <p><i>Populus</i>, 656. sq. 743</p> <p><i>Possessor bonae vel malae fidei</i>, 787. 500. sq.</p> <p><i>Possidere</i> quid sit? 287</p> <p><i>Potestas</i>. Quid sit in potestate nostra? 53</p> <p><i>Potestas legislatoria</i>, 687 sq. iudiciaria, 716</p> <p><i>Potestas patria</i>, 610. sq. dominica, 636. sq.</p> <p><i>Praecedentiae</i> ius inter gentes, 919</p> <p><i>Praemium</i> quid sit? 157. in statu ciu. 697</p> <p><i>Praescriptio</i>, iure naturali non datur, 416. sq. in statu ciu. 833</p> <p><i>Praestare</i>, quid sit? 57. 334</p> <p><i>Praesumptus</i> consens. 358</p> <p><i>Praeventionis</i> ius, 483</p> <p><i>Precarium</i>, 378</p> <p><i>Pretium</i>, 384. sq.</p> <p><i>Princeps</i>, 742</p> <p><i>Principium</i> iuris uaturae, 212. sq.</p> <p style="text-align: right;"><i>Primi-</i></p> |
|--|---|

# I N D E X.

<i>Privilegium,</i>	700	<i>Recantatio,</i>	495
<i>Probatio,</i> 511. sq. facti vel iuris, 515. per testes, in- strumenta, cet. 518 890		<i>Regalia,</i>	686
<i>Proceres imperii,</i>	739	<i>Regnum electivum, suc- cessivum,</i>	749. sq.
<i>Processus,</i>	887	<i>Religio,</i>	721
<i>Promittere, quid sit?</i>	334	<i>Remedium,</i>	137
<i>Promulgatio in genere quid sit?</i>	230	<i>Remissio iuris f. debiti,</i>	450
<i>Proportionatum reme- dium, quid sit?</i>	150	<i>Repraesentare,</i>	901
<i>Propositum,</i>	140	<i>Repraesentativus chara- cter,</i>	904
<i>Proprietarius,</i>	324	<i>Repromittere, quid sit?</i>	334
<i>Proprium, quid sit?</i>	262	<i>Repudiatio,</i>	605
<i>Proprium in specie, com- muni oppositum,</i>	279	<i>Res quid sit?</i>	265
<i>Pubes,</i>	625	Ius hominis in res in statu nat. 268. sq. in statu civ. 824. sq.	
<i>Puniendi ius in societa- te,</i>	571	<i>Res corporales, mobiles vel immobil. cet. 283. sq.</i>	
<i>Pufendorf, Sam.</i>	26	<i>Res incorporalis,</i>	305
<i>Q.</i>		<i>Res nullius,</i>	274
<i>Quasi-contractus, iure naturali non dantur, 399. sq. in statu civ. dantur,</i>	833	<i>Respublica, 657. sq. status eius, 683. formae eius, 744. sq. quid reip. interfit?</i>	804. sq.
<i>Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,</i>	215	<i>Respublicae speciales, 783 Achaicae,</i>	784
<i>R.</i>		<i>Restitutio danti dati,</i>	477
<i>Ratihabitio,</i>	400	<i>Reversio iniuriarum,</i>	495
<i>Ratio, dux voluntatis,</i>	11	<i>Renovare promissum, quando liceat?</i>	361
<i>Ratio status,</i>	207	<i>Romanorum ius nat.</i>	24
<i>Reatus, quid sit?</i>	128		5.
<i>Rebeller,</i>	791		

# I N D E X.

<p><b>S.</b>  <i>Salus</i>, 653. publica vel          priuata, 674  <i>Salus communis</i>, 539. 654  <i>Satisfactio</i>, 477. priuata          vel publica, 816  <i>Scholas</i> condendi ius, 720  <i>Scholasticorum</i> ius nat. 24  <i>Securitas</i> quid sit? 465  <i>Seruare</i> pactum, quid          sit? 341  <i>Seruitus</i> in re constituta,          325. 831  <i>Seruitus</i> personæ, 636. 1q.  <i>Sociale ius</i>, 542. sq.          internum vel exter-          num, 544. sq.  <i>Societas</i>, quid sit? 537. sq.  <i>Societas</i> aequalis vel in-          aequalis, 569  <i>Societas</i> pactitia s. volun-          taria, vel necess. 585. sq.  <i>Societas</i>, expresse vel ta-          cite inita, 588  <i>Societas</i>, quomodo tolli          possit? 592. sq.  <i>Societas</i> despotica vel li-          mitata, 572. sq.  <i>Societates</i>. Earum spe-          cies, 595  <i>Societates</i> obligatoriae,          vel precariae, 557. sq.  <i>Societates</i> civiles, 680</p>	<p><i>Solutio</i>, 448  <i>Solutum</i>. Datio in solu-          tum, 452  <i>Sors</i>, 530  <i>Sponsalia</i>, 690  <i>Sponte agere</i>, quid sit? 54  <i>Status civilis</i>, 671. 1q.  <i>Status hominis</i>, quid          sit? 72          consequenter mora-          lis, 73. vel anteceden-          ter, 74. perfectus vel          imperfectus, 75  <i>Status</i> extraordinarius s.          irregularis, et ordina-          rius s. regularis, 203  <i>Stimuli</i> naturales, 41  <i>Stuprum</i>, 596. 860  <i>Subditus</i> in genere quis          sit? 569. in ciuitate, 658  <i>Subiectio</i> quid sit? 244  <i>Subiectionis</i> pactum,          656. sq.  <i>Successio</i>, in statu natura-          li, 421. sq. in regno, 760          - sq. in statu ciu. 834. sq.  <i>Sufficiencia</i> vitae, 653. sq.  <i>Sumtus</i> publici, 725  <i>Superior</i>, quis sit? 244          in statu naturali nul-          lus, 216  <i>Superior</i> in societate, 569  <i>Summ</i> quid sit? 216  <i>Summ</i></p>
---	---

# I N D E X.

<i>Suum</i> connatum vel ad-	<i>Vindicatio</i> rei vel iuris,
quisitum, 234	499
<i>Suum</i> proprium vel a-	<i>Violare</i> pactum, quid
lienum, 262	fit? 341
<i>Suum</i> cuique, lex perfe-	<i>Violentia</i> , quid fit? 465
cta, 216	<i>Vis</i> , 465
<i>Systema</i> ciuitatum, 784	<i>Vita</i> . Ius vitae et necis in
T.	seruum, 641 in: subdi-
<i>Tacitus</i> consensus, 358	tos in statu ciu. 795
<i>Taedium</i> , 36	<i>Vnionis</i> pactum, 655. sq.
sensituum vel ratio-	<i>Vniuersitates</i> , 680. 868
nale, 39	<i>Voluntas</i> . Eius lex: a-
<i>Territorium</i> , 682. 928. sq.	pete bonum. 6
<i>Testamentum</i> , 424	<i>Voluntas</i> in specie, 43
in flatu naturali, 426	<i>Voluntas</i> an cogi pos-
sq. in flatu ciu. 839. sq.	fit? 69. sq.
<i>Thesaurus</i> , 296	<i>Voluntas</i> efficax vel in-
<i>Thomasius</i> , Christ. 27	efficax, 140
<i>Titulus</i> , 299	efficiens, vel ineffici-
<i>Tractatus</i> non sunt pa-	ens, 141
cta, 352	<i>Voluntas</i> ultima, 838. sq.
<i>Traditio</i> , 365. sq.	<i>Voluptas</i> , 36
<i>Transactio</i> , 530	sensitiua vel ration. 39
<i>Turbare</i> quid fit? 181	<i>Vota</i> in societate, 579. sq.
<i>Tutela</i> , 627. in flatu	<i>Votum</i> , 257
ciu. 863. sq.	<i>Vsucapio</i> , 416. sq.
<i>Tyrannus</i> , 799	<i>Vtendi</i> ius, 320
V.	<i>Vti</i> quid fit? 271
<i>Valor</i> , quid fit? 382	<i>Vtile</i> quid fit? 264
<i>Vicarii</i> imperii, 754	W.
<i>Vincibile</i> vel inuincibile	<i>Winckler</i> , Bened. 25
quid fit? 126	<i>Wolffius</i> , Christ. 27







#6622

XX X.85  
III.89





#6631

XX X.85  
III.89

